

13
EPISTOLA
PASTORALIS
IOANNIS IOSEPHI

E COMITIBVS
TRAVTHSON DE FALCKENSTEIN

S. R. I. PRINCIPIS ET ARCHI-EPISCOPI
VIENNENSIS CET.

A D

CLERVM SVVM ET CONCIONATORES

DATA VIENNAE D. I. IAN. MDCCLII



Q V A M

OBSERVATIONIBVS

PRACTICIS MORALIBVS THEOLOGICIS

SECVNDVM VERAM LVCEM EVANGELICAM

EXPOSVIT, ENVCLEAVIT, ILLVSTRAVIT

ALEXIVS L. B. DE R E W A

O L I M

ORDINIS FRANCISCANORVM

PROVINCIAE S. MARIAE IN HVNGARIA


PRAEDICATOR ET LECTOR THEOLOGVS

NEC NON

GVARDIANVS ET SVPERIOR NITTRIENSIS.

NVNC IN ACAD. WITTEBERGENSI THEOL. CANDIDAT.

VITEMBERGAE ET SERVESTAE
APVD SAM. GODOFRED. ZIMMERMANNVM. 1753.




NOS IOHANNES IOSEPHVS DEI
ET (a) APOSTOLICAE SEDIS GRA-
TIA (b) ARCHIEPISCOPVS VIENNEN-
SIS S. R. I. Princeps e Comitibus TRAVTHSON
DE FALCKENSTEIN, ecclesiarum Metropo-
litanae, Salisburgensis, et Cathedralium Passauiensis, et Vra-
tislaiuensis Canonicus Capitularis, Infulatus Abbas Sexardi-
ensis ac Caesareae Regiaeque Maiestatis Consilia-
rius Aetualis Intimus cet.

(a) *Apostolicae sedis gratia.*



Grande Nomen APOSTOLICVM, velut per *Anto-*
nomasiam, tacito Nomine proprio, libenter au-
dit *sedes Romana*; quemadmodum arridet illis,
quorum interest, cum maxime hoc nomen ta- *Pf. LXIX,*
cuerint, *vocare nomina sua in terris.* An vero haec famosa, *12.*
quae amat subaudire, sit *apostolica*, ex fructibus eorum *cogno-* *Matth.*
scendum esse, monet Saluator. Interim, si qua sedes, vbi lo- *VII. 20.*
corum, a quibus, quoue pacto determinanda esset, vt *apo-*
stolica? (nimirum, quae a Christo mansuerudinem, cordisque
A humi-



humilitatem apprime didicerit) ea minime affectaret quandam super omnes praerogatiuam: Neque suam adeo limitatam, Deique summam auctoritatem vna concluderet periodo: tamquam eandem, quam Altissimus, dare possit gratiam. Quis enim dat, quod non habet, aut, eo modo largitur, quo nec habere potest? Verum hanc notam nimis *notam* suis TITVLIS, velut propria oris confessione, praefert illa *sedes*, cuius *omnem situm*, figuram, et modum exaltatae sessionis in templo Dei, tam viuis coloribus expressit apostolus, ac si ipse a saeculis retrograde numeratis, neque statim a Christo descendentibus, Romae fuisset.

² *Thess. II,*
^{3:} 4.

Non tantum literis omnibus, sed re ipsa longissime distant: DICI et ESSE. Augustini effatum est: *quid gloriaris, te Christianum esse? Nomen habes, rem non habes.* Subdit quidam: *sic ubicunque nomen: alibi rem quaeras, et omen.* Si tamen adhuc de nomine lis est, vel ideo sedes Romana diceretur *apostolica*, quia Principes, vt aiunt, apostolorum, *doctrinam Christi Romae praedicauerunt?* vel, *quia Romam suum martyrio illustrarunt?* Si dicatur *primum*, ac inde sumenda sit nominis praecellentia: iure potiori, *apostolico* nomine gloriari potest ANTIOCHIA; quandoquidem a multitudine credentium, et recepto Christi euangelio, non Romae *primum*, sed *Antiochiae discipuli appellati sunt Christiani.* Hinc etiam aliud grande nomen, ΘΕΣ ΠΙΛΕΩΣ II, *acdis. Antiochia* meruit, non Roma, teste Procopio. Si vero dicatur alterum, sedes Hierosolymorum vtrique palmam eripiet, vt pote, quam *vnus ille, summusque Noui Testamenti Pontifex* non modo caelesti doctrina, ore suo tradita, dignatus est: verum etiam sanguine proprio, velut *matrem* omnium ecclesiarum, consecrauit. Iam igitur, si *nominalem quaestionem* excipiat *nominalis conclusio*, vt stet illud commune, *qualis interrogatio, talis responsio*, vtrique minus nomen *maiori* solutum est. Tanta enim est differentia inter nomen *Christianum et apostolicum* (hoc posterius admodum placet Romanensibus) quanta inter *magistrum, et discipulum, dominum, et seruum.* Nos autem *Christiani* dicimur, et sumus; quod, sicut nemo inuidet, tamquam esset *humilius*

AE. XI, 27.
Procop. L.
II, acdis.
C. 10.
Hebr. per
totam.

milius, ita nemo tollet a nobis; quo et in aeternum, contenti, gaudebimus.

Exorta discipulorum contentione, quis eorum videretur *maior*, respondit Christus: *quicumque voluerit inter vos fieri maior, sit vester minister: et qui voluerit inter vos esse primus, erit vester seruus.* Profecto, si haec dicta sunt apostolis, quibus haud surrexit maior, nec surget in ecclesia: quanto magis dicta sibi existiment, qui se putant esse *aliquid*, si tantis solibus lucernae, primam vix caliginem discutientes, comparentur. Sed *verbis* ludunt: *vtinam non illuderent euangelio*, qui ad speciem humili titulo: *SERVVS SERVORVM DEI: sua decreta, bullas, edicta* vestiunt, vt eo subtilius, ne dicam *licentius*, dominantur in eos, qui haec non capiunt, aut verius: *capere nolunt*; quia bonum videtur eis, *regnare cum regnantibus.* Et vero, si speciosus hic titulus, vt aiunt, *humilitatem* spirat: cur ad virtutem, quam *pro fundamento cerevarum iactant*, aequalis omnibus non pateat aditus? Cur inquam praefato titulo vti non liceat ceteris animarum pastoribus, aut episcopis? Sed *Romano* duntaxat proprius, adeoque singularis decernitur, vt si ab alio quopiam in literis vsurparetur: sine mora, sine *iudicio*, criminis *laesae maiestatis Pontificiae*, nec non repetundarum, quasi de iure Canonico, reus postularetur. Hoc vnum afferre placuit: *Sex millia* ecclesiae *tantum* Romanae propria quis enumeret? Quae si ad *trutinam* veritatis expendantur, *nomen* virtutis habent, *ipsam* eiurant.

Pompam illam, quasi deceret *seruos seruorum Dei*, externasque propemodum *infinitas ceremonias*, et gubernium *plus, quam politicum*, nouae cuidam *Monarchiae* simillimum, si tamen *quinta*, vt est in mente quorundam, foret possibilis, et nolens, et volens praetereo. Non enim ex *institutione* Christi, non apostolorum *sanctionibus*: Non *primis* illis, et Christo vicinioribus *saeculis*, *primatus*, tantaeue potentia, quantam contra ius, fasque super omnes Reges, Monarchas, Principes sibi arrogat, *Romano praesuli* decreta est. Aliunde venit haec illi sarcina: quae dum excessit modum, et super omne, quod *humanum* dicitur

tur, astu, et mamona iniquitatis euecta est: iam premit se ipsam mole sua, cuius augmentum ignorauit ante duo saecula. *Medium* vero tenere, quod *omnes tenuere beati*, et vel ideo beati, etiamnum recusat. Id ergo totum, quod oculos primum vexauit inanes, deinde, conuiuentia Principum, incrementa sumfit, tandem eorum auctoritate, per quos Roma creuit, imperii tantum, et quartae, non *quintae*, Monarchiae honori datum est, vt etiam in ecclesia vrbis, non *orbis*, splendor externus, non *infinitus*, cresceret. Utinam, proh dolor! quemadmodum honores mutare solent mores, *internus* non decreuisset!

Erat olim ecclesia Romae *apostolico* nomine digna: et quidem pars eius, quae Christum sequebatur, haud ignobilis; sed non erat *totum* quoddam, vt a suis concipitur, *sine partibus*, *inexplicabile*, semper huic vniuerso repugnans. Erat etiam, dum euangelio stetit, dicique poterat (nemo abnuit) *euangelica*: Sed cum ceteris, non prae ceteris. Iam vero, vbi mutatus est color optimus, quo singulari nomine, ceteris haud competente, decoranda veniat, nescio, nisi, quod semper nouis delectetur titulis, suumque faciat, quod alienum erat, canticum: *recedant vetera, noua sint omnia, quis noster Dominus est?* Non dicam ego *circulum* quemdam, cum ipsa plus dicat, se esse *rotam Romanam*, quo auctore, si non Christo, neque apostolis, *tertium* ipsa viderit, Lector inferat.

Quod si Christus hic suam, non *vtrique gloriosam*, sed *militantem ecclesiam* externo splendore, ac mundi potentia florere voluisset: cur saltem prae ceteris dilectos apostolos non exemerit a cruce passionum, sed omnes, vna cum Petro (quantumcunque *Princeps* audiat) eadem fors *humilis* et *aspera* manserit: a qua scilicet, non abhorruit *venerandum illud, hominum, et Angelorum Caput*. Dices fostasse: *Sic oportebat fieri, et Christum pati, vt implerentur Scripturae*. Sed etiam scriptum est: *Non est maior seruus Domino suo*. Igitur *si oportebat Christum pati, atque ita intrare in gloriam suam*: quomodo *nequam seruus*, ni aequae pal-
tiatur, ac superbae maiestatis opinionem deponat, intrabit in gloriam, non suam, sed penitus alienam?

Ef. LIII,

^{10.}

Iob. XV,

^{20.}

Luc. XXIV


^{26.}

In

In primaeuo coetu fidelium, quando sua constabat euangelio puritas, et respondebat obseruatorum eius integritas, episcopi, aut quoquo nomine veniant praelati animarum, non quaerebant honores, atque dignitates ecclesiasticas: quae iam, *commutatis nominibus*, ita vocantur, quia munus *pastorale*, ob vigiles curas, et inexhaustos labores, dictum alias *onus*: tandem accumulatis opibus, per continuam *aspirationem* sequacium, euasit honos. At priores illi euangelicae fidei parentes, quibus hic mundus non erat dignus, *quaerebantur*, et vel inuiti e cryptis et cauernis *traherentur* fors ad honorem diceres? nisi constaret, fuisse *onus* angelicis quoque humeris formidandum, a quo scilicet, in mediis persecutionum flammis, pendeat salus animarum.

Munus ergo *pascendi*, quod *primum*, *summum*, et *rotum* erat *apostolicae* dignitatis, nihil inuoluit *imperii*, quale semper affectat, imo a saeculis perperam exercet *rota Romana*: sed curam et sollicitudinem pastoris notat, *ad ministrandum idoneum pabulum gregi Dominico*. Quum enim *Saluator*, ne semel auctoritatem *Petri*, sed *amorem* tertio requirens, ac interpellans, dicat: *Pasce oues meas*, studiose non *tuas* dixit, sed *meas*, ne *Petrus*, aut *quiquis amat grandia successionum nomina*, existimet, se ouibus, non hircorum, aut taurorum, sed pretioso Christi sanguine redemptis uti posse ad arbitrium, veluti grege suo.

Ridiculum est sane, in *petra* velle aedificare; tandem, ubi fero inspexeris fundamenta, cum admiratione videas totum aedificium in arena vacillare. Non *petra* a *Petro*, sed *Petrus* a *petra*, quae dicitur *Christus*, non *Cephas*. Profecto si non *Matth. supra petram* illius aeternae confessionis: *Tu es Christus Filius DEI* *viti*, ut Patres nobiscum sentiunt, sed *supra Petrum* aedificata esset Christi ecclesia, quemadmodum irritum semper conatu Pontificii voluerunt, admodum labile fundamentum haberemus, *quod vna prostravit ancilla*. Quot, putas, *modo Petris*, ut inuicem succedentibus, *vna sufficeret ancilla*? Dicere porro, sed dicere tantum, quod est principium petere, vnum aliquem in terris hominem a rectitudine dogmatum fidei aberrare



rare non posse: praeterquam quod contrarium, non de *possibili* tantum, sed in *actu secundo* plus satis constat: id vel ipsam Petri successionem excedit.

- Videamus tandem, quaenam sit, vbi terrarum gentiumue reperiatur *vera sedes apostolica*? Cui dignissimum nomen *ecclesiae Christi* iure merito, non opinionum fallacium arbitrio, competat? Num ista, humilis, quae nullis gloriatur titulis, sed, tamquam *pusillus grex*, vnum, et hunc *bonum Pastorem* agnoscit in caelis, et in terris: imo *persecutionem patitur ob verbum DEI*, et *sanctum euangelium*? Num illa *terribilis*, quae *Christi*
- 2 Tim. III, *fideles assiduo persequitur*? Numquam dixit apostolus: *Qui pie volunt viuere in Christo Iesu*, alios persequentur, quod absit, sed: *persecutionem patientur*. Hoc tam luculentis fere quotidie in *Hungaria* renouatur exemplis, vt merito, in *caussa presae religionis patienti simul*, et *compatienti*, exclamare liceat: *Heu deploranda Pannoniae tellus, florebas olim; ad quid deuenisti? Non agnoscis tempus visitationis tuae, a quo salus tua pendeat? Vide, ne spernas verba sincere monentis: Vnica restat post naufragium tabula. Fac serio, quod adhuc potes, dum velis, ne sero facere, quod voles, non possis. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Hora ruens trudit horam irreparabilem, et nescis ultimam, nescis fatalem. Suos tamen, vbicunq; sunt, vel fuerint, non derelinquet Christus, quos apud Ioannem, pro more Ducis propria enumerantis vulnera, consolarur efficacissimam.*
- Ioban. XV, me. Haec, inquam, sit consolatio nostra super omnem consolationem, quod certo certius cognoscamus, *nos esse in vera Christi ecclesia*; quoniam *persecutionem patimur pro fide, pro veritate, pro euangelio*. Eia igitur, Fratres in Christo, cum nos hic, mundus odio habeat, nec velit intelligere, vt bene ageret: imo nec possit reconciliari nobis, quousque *pie vixerimus in Christo Iesu*, utpote cuius *euangelium est Symbolum nostrum*, exclamemus vna voce dicentes: *Vale! munde immunde! Vale, munde impie! A modo cum Paulo nostra conuersatio erit in caelis.*
- Phil. III, 20.

(b)

(b) *Archiepiscopus Viennensis.*

Hieronymus inquit: *Si auctoritas quaeritur, orbis est maior urbe. Vbiunque fuerit episcopus: siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Regii, siue Alexandriae: eiusdem est meriti, eiusdem est sacerdotii.* Quid ergo magnum, quid prae ceteris mirabile consequuta est sedes Romana, quod nomen, *re aliis permessa*, mutuetur ab apostolis? cum omnes *Noui Testamenti sacerdotes* (vt praeclare dixit Chrysoſtomus) *in Cathedra Christi sedeant, maioremque ipsis Angelis dignitatem obtineant.* Tantus igitur est *Archiepiscopus Viennensis Viennae*, quantus est *Romanus Romae*: huic vt *episcopo*, nihil decederet, si esset *Viennae*: illi nihil accederet, si esset *Romae*, quemque, suus locus, qualem accepit, talem esse finit. *Urbis non est orbis: sed in orbe, non extra urbem quaerenda est.* Vestis, vt aiunt, non facit monachum: an locus materialis faciet episcopum? aut forte, quemadmodum ille *trium modiorum capax cucullio Capucinatorum*, quo prolixior est, quam *Franciscanorum*, eo maiorem, sub umbra eius latentis, inuoluat *perfectionem*: ita cumulator, aut certa arte formosior congeries lapidum salutet vnum prae alio episcopum. *Sola fides, virtus, et scientia sunt vera hominis, vt homo est, praesertim episcopi ornamenta.* Quod extra hominem, quid ad hominem, nisi *pompa, ceremoniae splendor, cet.* magis vel minus, hic, aut ibi simplicium oculos perstringentis, episcoporum quoque differentiam faciant? Si veram dignitatem respicis: *vnusquisque tantus est, quantus in oculis Dei, non quantus apparet hominibus.* Hac ratione tuto dixerrim: *Si TIBI, cuius Pastoralem veluo, reuoluo, cura Pastoralis, illa quondam episcoporum gloria: vni, soli, et omni Dei verbo innixa: iam vere cordi est, quam facile dici, aut scribi potest: Tu et Romano maiores; Non quidem vulgari opinione, quam generoso calcas pede; altiori tamen (ne hominum dicam, quamquam et hominum) omnium videlicet iudicio: apud quem non est personarum acceptio. Non enim sunt cogitationes meae cogitationes vestrae, et viae meae viae vestrae, inquit Dominus. Homo videt ea, quae apparent: Deus autem*

*Eccl. X, 34.
Esa. LV, 8.
1. Reg.
XVI, 7.*

autem intuetur cor. Apud homines, inquit Bernardus, cor ex verbis, apud Deum verba pensantur ex corde. Illi saepe fallunt, saepius falluntur. Deus autem nec falli, nec fallere potest. Hoc est illud incommunicabile attributum: quod nulli hominum, qui tantum homo est, competit. An per fallaciam dictionis vni Romano prae ceteris conueniat, illi viderint, quorum maxime interest, hoc modo conuenire.

VNIVERSO CLERO NOSTRO

Præsertim autem omnibus et singulis *Concionatoribus* in, et extra Ciuitatem Salutem nostram in Domino, et apostolicam benedictionem.

Vt primum Pastorale onus nostrum suscepimus, ea sollicitudinis nostrae praecipua pars fuit, vt verbum Dei sacris in exedris ex voto et praescripto ecclesiae rite explicetur, cum a recta verbi Dei praedicatione quam maxima in Christianam rem publicam emolumenta emanare, et fere potissimos animarum fructus metiendos esse, nemo non perspiciat. Compertum quidem nobis abunde est, concionatorum nostrorum quam plurimos viros doctrina, prudentia, zelo, et Spiritu Dei vbertim instructos, munere suo praeclare fungi; tamen, cum certis relationibus acceperimus, (c) non vltos a trito verbi diuini tramite, et genuina concionandi ratione haud paullum aberrare: Pastoralihac epistola eos commonefacere in Domino iudicauimus.

(c)

(c) *Non nullos a trito verbi diuini tramite, cet.*

Res in cura Pastoralis eodem fere modo se habet, ac in exploratione morborum: quorum si causae perspectae fuerint, curatio feliciter procedit; nisi quod eo diligentius exquirenda sint animorum remedia, quo et praestant nobilitate corporibus, et saepe maior sit difficultas cognoscendi latentes mentium affectus, quam excitatos ab intemperie humorum corporis motus. Vtinam non plurimi Romanensium (quos Ill. Auctor Epist. satis modeste vocat *non nullos*) aberrarent ab vnico verbi Dei scopo, *gloria Dei, et animarum salute*: fortasse adhuc spes aliqua desideratae sanitatis esset residua. Vtinam eadem ratio praedicandi sobrie placeret omnibus ecclesiis, quam olim Doctor Gentium suo praescripsit Timotheo, ac huius nomine omnibus verbi Dei praeconibus, breui alios, quam hactenus videre licuit, verae pietatis fructus colligeremus ex agro Dominico. Sed haec pia duntaxat vota dici merentur: quorum effectus tamdiu desiderabitur, quamdiu non placebit omnibus *eadem viuendi aequae, ac praedicandi regula*, non ab hominibus, nec ab Angelo quopiam, cuius nomen aut ignoretur, aut fingatur, dictata; sed *una illa infallibilis, per sacros Amanuenses, digito Dei viui exarata*: *Auctore Spiritu S. praeter hanc sanctissimam regulam, quis Gal. VI, 16. Phil. III, 16.* quis in Papatu aliam quaesierit, non vniam, sed *plurimas*, et quidem *laxiori*, quam Christus ostenderit, *via ducentes, in omni angulo reperiet*. Sed meminerit illius *viae, quae videtur homini recta; nouissima tamen eius ad mortem deducere*, iam olim praedixit: et praesertim hoc *nequam saeculo monet in Prouerbiis Salomon.* *Prov. XIV, 12.*

Ante omnia *Concionatores* sibi cordi sumant grauitatem muneris sui, ad quod a Deo, Deique Ecclesia vocati sunt: quippe quibus prae ceteris sacerdotibus incumbit, *(d) verbo, et exemplo gem*

B

gem

gem Dominicum pascere: quod infirmum, consoli-
dare: quod aegrotum, sanare: quod confractum,
alligare: quod abiectum, reducere: quod perie-
rat, quaerere; verbo: tot animas, Christi san-
guine redemptas, in via veritatis ad caelum manu-
ducere.

(d) *Verbo et exemplo gregem Dominicum pascere.*

Communis habet paroemia: *Verba mouent, exempla trahunt.*
Quid faciendum sit, a dicente quidem audimus: sed a fa-
ciente simul, quod bene dictum est, efficacius discimus. Qui
se ipsum *recta* non docet, ut alios *recte* doceat, *paradoxum* vide-
tur. Si tamen quis contendat, se vnum absque altero vidisse;
vel etiam gloriatur, se *tantae virtutis* esse, ut *optima* doceat, nec
eadem faciat: haud controuertam. Sed hunc doctorem similli-
mum *campanae* dicam, quae, cum alios solemniter in *templum*
iuuiter, ipsa *foris* crebro tinniens, nunquam ingreditur in *sancta*
sanctorum.

Vix, ac ne vix quidem excitabis pium in auditore affe-
ctum, cuius ipse calorem non senseris. Dum enim verba cum
sono transeant, cor impleri non potest. Illi ergo sunt *veri*, ac
boni concionatores, qui non *theatro*, sed *vitae* laborant, qui, cum
ex cathedra dixerint, quid faciendum sit, nunquam in eo, quod
praedixerunt, fugiendum esse, deprehenduntur. Quid enim
iuuat, *ex literis et syllabis componere muros Ierusalem*: si, quod
aedificatur verbo, destruat *exemplo*. Quidam, ut ait Chryso-
stomus, *fidem praedicant, et infideliter agunt: pacem dant aliis,*
Cap. 24. *sibi non habent: veritatem laudant, mendacia diligunt.* Non
tam *verba* in veritate, quam *veritas* in verbis quaerenda. Nam
Isid. L. 3. de *saepe*, Isidoro monente, *reperitur simplicitas veridica, et falsitas*
Sum. bon. *composita.* Quod ergo sentimus, loquamur: quod loquimur,
Senec. Ep. *sentiamus: concordet sermo cum vita*, ut praeclare dixit Seneca.
XLIII. Ille suum impleuit officium, qui, cum videas illum, et cum au-
dias,

dias, idem est. *Si bene vixeris, et bene docueris, inquit Chryso-
stomus, omnium iudex eris; si male vixeris, et bene docueris, tui in Matth.
solius. Nam bene docendo populum instruis, quomodo debeat viuere,
male viuendo, doces Deum, quomodo te debeat condemnare.*

*Multi, iuxta vetus elogium, emphatice dixit Hieronymus, Hier. ad
cum loqui nesciant, tacere non possunt: docentque Scripturas, quas Demet.
non intelligunt; et quum alii persuaserint, eruditorum sibi assu- Virg.
munt supercilium: prius imperitorum magistri, quam doctorum di-
scipuli, quamquam et doctissimus quisque, non eo statim, quo
doctus, etiam praedicator, aut doctor bonus est. Non enim omni-
bus datur, sed nolunt plures, imitari Deum, qui, cum sit sapien-
tium Sapientissimus, tamen ad imperitiae plebis captum se nouit
accommodare. Imo quidam (non omnes dixerim, sed a po-
tiori, quos apellant Lectores, Professores, et Episcopos) eo se de-
mittere honoris decrementum putant, quo se inclinauit tanta
maiestas, quae, vt verbo salutis erudiret paruulos, non borruit
virginis uterum, sed amore nostrij hominem induens, de caelis
descendit.*

*Quid mirum, si tot hiatus in ecclesia, multum scilicet apo-
stolica, reperias? quum illi maxime, quorum esset prae ceteris,
verbo et exemplo Dominicum gregem pascere: alienis, vt pluri-
mum oculis videant, alienis auribus audiant, alieno ore loquan-
tur, et nescio, cuius intellectu intelligant, quali iudicio iudicent,
quasue demum consequentias ex tot, tamque praeclaris antecē-
dentibus inferant. Cur entia multiplicantur absque necessitate,
vt quid officiorum in vnum idemque tendentium diuisiones,
nec non diuisionum subdiuisiones? Cui bono tot subalterni,
subrogati, suffraganei, extraordinarii, ministri, vicarii, Capellani?
cet. nisi, vt hi portent onera: illos supportent ipsi honores.
Haud insulse dixit quidam: Post veros adoratores in Spiritu et
veritate, surrexerunt in ecclesia lignicolae: qui semper ordinabunt,
et sine ordine viuent. Vbi minus pensi, quam oneris manet ex
officio: plures hoc, aiunt, requirit homines: diuidatur in hu-
meros pauperum, adsuetos laboribus. At vbi dignitates, Ab-
batiae, Canonicatus, Praelaturae, et alia id genus, vel C. millia-
ribus*

ribus inuicem, magis autem a subiecto diffita, verum in erumenam large importantia, coaceruantur; etiam si verbis non dicant, factis aperte loquuntur: *ad haec omnia sufficit vnus homo; dum fumosas maiorum imagines in atrio numerare possit.*

Nihil proinde antiquius habeant, quam vt aeternis fidei veritatibus populum imbuant, non vtilia tantum, neglectis necessariis, vrgeant; sed potissimum studium in eo collocent, vt doceant auditorem porro, (e) *vnun esse necessarium*: RECTE CREDERE, RECTE AGERE, ET ANIMAM SALVARE.

(e) *Vnum esse necessarium cet.*

Recte quidem orditur Illustr. Auctor salutis negotium ab *vno* *necessario*, quod primo loco posuit: *To recte credere*. Sed aliud *To recte agere*, toto caelo a priori, tamquam *effectus a causa*, distinctum, quod etiam *MARTHA cum sollicitudine praestitit*, non est vnum illud ad salutem necessarium: quod *elegisse Mariam, laudat in euangelio Saluator*. Remanet igitur, *solam fidem, vt iustificationis, ita salutis causam esse*, vt mox patebit euidenter. Hic et nunc dici potest: quod *bona opera, et salus animae subordinated fidei*, per modum effectuum *prioris et posterioris*; quamquam nec iste ordo effectuum est absolute necessarius, tamquam indispensabilis a *caussa prima*, vt constat euangelico latronis exemplo: quod *eleganter deducit Chrysostomus, ita concludens: Nullus sine fide vitam habuit. Latro credidit duraxat, et iustificatus est a misericordissimo Deo. Atque hic, ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iuste viueret, ac honesta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego: sed illud vnum asserauerim, quod sola fides per se saluum fecerit. Sunt quidem bona opera secundum quid necessaria* SALVANDO, si nimirum adulus post veram fidem, suamque conuersionem, superuiuat; sed

Luc. X, 42.

Luc. xxiii.

Chrysost.
Serm. de
fid.

non sunt necessaria simpliciter loquendo, AD SALVTEM, id est: per modum causae, aut medii, sine quo dari nequeat salus; alias nec latroni contigisset. Quod enim se habet per modum causae, aut medii ad aliquid, ita est necessarium, ut nunquam absque eo dari possit effectus, quemadmodum nullus ab orbe condito assignabitur casus, quo declaretur, sine fide cuique salutem accidisse. Ergo ratione contraria: cum sit evidentissimum latronis exemplum, SOLA FIDE, sine bonis operibus consecuti salutem (praeterea validissimum est argumentum ab actu ad potentiam) vti que de se possibilis est salus absque bonis operibus; quia datur actu et feliciter possidetur a latrone. Non itaque maior, nec tanta necessitas bonorum operum ad salutem adstruatur, quanta est fidei; sed quantum sentit, aut iubet sacra Scriptura: hanc vero esse necessitatem ordinis, mandati et voluntatis Christi ac debiti nostri: solide non minus, quam diserte comprobant Libri Symbolici ecclesiae Lutheranoeuangelicae. p. 703.

Paullus ad Rom. ex praemissis concludens, inquit: *Iustificari hominem per fidem sine operibus.* Quem textum LUTHERVS, ut germanam Paulli mentem exponeret, nata videlicet ex terminis paraphrasi, vertit, ac genuine interpretatur per *solam fidem.* Quum enim unum, negatis ceteris, ponitur ad aliquid esse necessarium, illud SOLVM remanet. Atqui. Ergo. Id ipsum, ut causa brevitatis plurima Scripturae loca praeteream, solide confirmatur ex Epist. ad Galat. *Scientes autem, inquit apostolus, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, et nos in Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis; propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Substitu tantisper, et *emphasis* Paullinam considera: Ecce in vno eodemque versu, ter negato concursu bonorum operum ad iustificationem, quid aliud restabit, nisi SOLA FIDES? Profecto, si Paullus tempore Lutheri: aut Lutherus tempore Paulli vixisset: nihil aptius, nihilque aperi-
 tius ad rem nostram pro iustificatione SOLIVS fidei, aduersus Romanenses dici poterat, ut plane mirum sit, quod hanc innocentem voculam SOLA, optime cum fide saluifica concordantem,

Rom. III,
28.

Gal. II, 16.

multisque ante Lutherum Patribus et *Graecis* et *Latinis* vsurpata, imo et *Glossae* maiori familiarem, non prius aduerterit *versatilis rota Romana*; Sed posteaquam ea probe vsus est LUTHERVS: iam, velut *inauditam et haereticam, proscribit, execrata* *Erasm. in est, damnauit.* Sui temporis literatorum facile Princeps, Erasmus *Eccles. L. Roterdamus*, innocentiae Lutheri, vt vt *aduersarius*, luculentum reddidit testimonium hac exclamatione: *Vox sola, voc clamoribus lapidata hoc saeculo in LUTHERO: reuerenter auditur in PATRIBVS.*

Non bona opera, vt constat intelligentibus, sed *superbiam et inanem in eis confidentiam* semper impugnauit Lutherus. Quapropter ex doctrina bonorum operum, male a Romanensibus intellecta, *perperam* accusantur Protestantes, quasi *probibeant bona opera, vel imminuant dignitatem eorum.* Idem olim, cum in externis ritibus veritas quaerebatur, cum lupis vlaueram. Sed iam dolens victas manus euangelio Christi, a quo vincii et conuinci demum est triumphare. Cui seruire, regnare est. Cum ergo plenum sit euangelium eiusmodi sacris propositionibus, *fide apprehendi gratiam, et remissionem peccatorum, et iustificationem et salutem: vtiue maior dignitas bonorum operum exsurgat, si palam ostendatur, quid re vera possint, et quantum valeant, quam si eis attribuatur quidpiam, reluctante Scriptura.* Valeant igitur, quantum valere possunt: et tamquam *boni fructus bonam arborem ornent, imo onerent; non est verendum de iactura ramorum, dum solidam radicem, veram fidem agnoscant.* Non enim nos, qui dicimur, *me quoque iam incluso*, Protestantes, prohibemus bona opera; sed quomodo recte fieri debeant, nam et bona male fieri possunt, declaramus. Nunquam dictum est (euoluantur Libri Symbolici) *ne fiant bona opera; sed, quod opera, in quantum bona, ante veram fidem nulla sint, nec fieri possint.* Hoc non dici tantum, sed *incubari* debet. *Quis vidit effectum ante causam? interroga rationem: vel ipsa tibi respondebit.*


Non ergo minuius dignitatem bonorum operum; sed iustum eis pretium, vnde totum sumi debet, e *sacris Literis* statui-

tuimus: et quidem longe maius, quam qui, habeant, non habeant veram fidem, primo sollicitantur, deinde gloriantur de bonis operibus. *O quæstum inaniem, quaerunt foetum ante matrem.* Ad rem dixit B. Lutherus: *Fides est quiddam viuum, efficax, potens: ita, vt fieri non possit, quin semper operetur bona.* Neque fides quaerit demum, an bona opera sint facienda? sed priusquam de ea re inquiretur, iam multa bona opera effecit, et semper in agendo est occupata. Qui vero non ad hunc modum operatur, is homo vera fide caret: et vbi sit fides, vbi bona opera, quasi caecus, palpando quaeritat. Neque tamen, quid fides, aut bona opera sint, nouit. Necessè est, vt habeas bona opera, te habere fidem: sed non est necesse, imo est impossibile, vt habeas fidem, te habere bona opera. Non enim ad habendam fidem, quae non est in te, praecedunt bona opera: sed tantum ad declarandam fidem, si vera est in te, sequuntur necessario bona opera. Non, vbi sunt apparentia, et hypocritica, quorum plenus est omnis angulus: sed vbi sunt vere bona opera, ibi esse veram fidem colligimus, tanquam ex signo rem. Bona opera, quantumcunque designent veram fidem: non tamen ipsa faciunt viuum fidem; sed *vita fidei est Christus*, quemadmodum clarissime loquutus est Paullus: *Vos ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia IESVS CHRISTVS in vobis est, nisi forte reprobi estis?*

Luth. praefat. in Ep. ad Rom.

2. Cor. XIII, 5.

Vtinam tandem aliquando saperent, ac nouissima prouiderent, qui *columnias*, vt puluerem, spargunt in B. Lutherum, tanquam is bona opera sustulerit de ecclesia. Non *sustulit*, sed plus, quam dici potest, *stabiliiuit*; non, vt Papistae, in vanissimo humanarum inuentionum arbitrio: sed in solidissima euangelicae fidei petra, IESV CHRISTO. Vtinam, non prius iudicarent, quam intelligant mentem eius! Sed, quod est iniquissimum, Lutherus in Papatu omnes habet oculos, plurimos iudices, paucissimos lectores. Nulli vetitum esto: legite libros eius: legite in Scripturam commentarios, illudque *Cygneum opus in Genesin*, aliud profecto sentieris, dum a praeeiudicatis opinionibus tantisper abstineatis. Vnum e sexcentis locis, in qui-



quibus, tamquam *pro muro Israel*, stat pro bonis operibus, *vel*
Luth. in C. inuiri, audite: Haec sunt verba eius: *Extra causam iustificatio-*
III. ad Gal. nis, ut pote quam sola fides perficit, *nemo potest vera bona opera*
lat. satis magnifice commendare. *Quis vel vnus boni operis, quod*
Christianus ex fide, et in fide facit, utilitatem, et fructum satis
praedicare potest? est enim pretiosius, quam caelum, et terra. Est
ne hoc prohibere? Est ne dignitatem minuere? Est ne de ipsa
Christi ecclesia sustulisse, dum vel vnum bonum opus, ex vera
fide profectum, tanti facit: ut terrae caeloque praefendum iu-
dicet. Quis Romanensium luculentius testimonium exhibuit
vnquam bonis operibus?

Gen. VI, 5. VII, 25. Hebr. XI, 6. *Cuncta cogitatio, et figmentum cordis humani ex se tantummo-*
do malum est omni tempore, inde ab infantia. Quomodo igitur
bona opera (ut velleis) disponent operantem ad fidem, si nec
bona sunt ante fidem, neque Deo sine fide placere possunt, nisi quis
tenebras ad lucem disponere dicat: eo, quod praecedant cla-

Rom. XIV, 25. *rum diem? Omne autem, inquit Paullus, quod non est ex fide,*
peccatum est: Si non defectu materiae, tamen defectu finis, ut-
pote cuius reſtitudo ita commensuranda est fidei, ut semper
verum sit principium: qualis fides, talis finis, talia quoque sunt
opera. Eleganter dixit Augustinus: Non bene viuatur, vbi male
creditur. Item: Non officiis, sed finibus discernendas esse virtutes
a vitiis, quare, illud etiam opus, cuius materia de se bona vide-

1 Tim. I, 5. *etur, non erit bonum, sed vitium, si deficiant conditiones boni fi-*
nis a Paulo requisitae: ex corde puro, ex conscientia bona, ex fi-
de non ficta. Quidquid igitur non procedit ex fide vera, quae
opponitur fictae, qualis est hypocritarum, vel etiam historicae fidei,
qualem nec diabolo denegamus, etiamsi naturaliter bonum esse
appareat hominibus, tamen, quia desitutum est principio su-
pernaturali, Deo placere non potest, atque ita peccatum est: vel, ut
exponunt Libri Symbolici: peccato est contaminatum. Mala

Mattb. VII, 18. *enim arbor non potest bonos fructus facere. Scimus autem, nihil*
displicere Deo, praeter solum, et omne peccatum.


Luc. XVII, 10. *Monet Saluator: cum feceritis omnia, quae praecepta sunt*
vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debemus facere, fecimus.

Quis

Quis autem omnium fecit omnia, quae praecepta sunt ei, prodeat in medium, et laudabimus eum. Quamquam, ne sic quidem gloriari posset, cum iubeatur *se inutilem servum dicere, etiamsi faceret omnia.* Qui autem nec ea praestant, quae debent: quomodo gloriari possunt, se plus praestare, quam debeant? Quis ergo, nisi vanissimus et superbissimus homo, iactabit, se praestare quaedam opera *supererogatoria*; cum nullus omnia Dei praecepta impleverit, praeter unum Christum: *Omnes enim declinae. Ps. XIV, 3. simul inutiles facti sunt: Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Apud Iacobum: *in multis labimur omnes.* Apud Iac. III. 2. Ioannem: *si dixerimus, nos peccatum non habere, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Iob. I, 8.

Profecto, si altissimus nobis proponitur scopus: *Estate perfecti, sicut et Pater vester in caelis perfectus est.* Et si iubemur diligere Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, et ex omnibus viribus.* Denique, si nihil est in nobis intus, et foris, quod impendere, ac super impendere Deo, si vel sola decalogi praecepta respicias, non debeamus: quid quaeso remanebit? Quae particula corporis? Quae animae facultas? Quis cordis motus? Vel etiam omnium mobilium mobilissimae mentis maxima, vel minima designetur operatio, quam citra legem Dei, velut *indebitam Deo, supererogare* possemus? Sunt tamen, et proh dolor! multi sunt, qui vane, impie, superbissime gloriantur de quadam sui status *excogitata perfectione* super ceteros mortales, quasi *triumvotorum solemnii professione* aliam speciem naturam induerint, ut cum illo, qui *humilem contempsit publicanum*, idem re ipsa, nomine tantum, et colore mutato, sentiant: *Non summus sicut ceteri hominum.* Re vera *non estis sicut ceteri homines*, quicumque maiorem illa, quae omnibus praecepta est in euangelio, *perfectionem* somnatis. Sed nec unquam eritis, nisi hanc *superbissimam opinionem* deponatis, in gloria sanctorum. Luc. XVIII, 10. seq.


Quidam *instari bonis operibus*, quae ipso facto pessima dixerim, eo temeritatis procedunt, ut *debitorem suum* facere Deum non vereantur, dicentes: *si haec bona egero, saluare me debet: si illa mala vitauero, damnare me nequit.* O homo! tu quis es, ut Rom. IX, respon. 20.



- Exod. xxxiii, 19.* *responses Deo? Non scis, dixisse Dominum: Miserebor, cuius misereor, et misericordiam praestabo, cui miserebor? Idcirco exclamat Paullus: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Fidelissimus est Deus, dabitque suis, non alienis, promissam haereditatem: sed ex fide dabit: non ex operibus: ex sola misericordia dabit, ex nullo debito. Subtiliter Augustinus: Deus reddidit debita, nulli debens. Reddet, inquam, cum secundo venerit, Filius hominis, unicuique secundum opera eius. Secundum opera dictum est: non propter opera. Consequemur enim praemia secundum qualitates operum: non propter merita operum. Deus ergo praemiaturus bona opera, non tamquam nostra, et ex nobis: sed tamquam sua dona, coronabit in nobis.*
- Rom. ix, 16.*
- Aug. L. II. Conf. Cap. IV.*
- Matth. XVI, 27.*
- 2 Cor. III, 5.* *lam vero: Si non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: quomodo amplius quid praestare poterimus? cum et sufficientia nostra: et ipsam, quod sumus: et quidquid boni habemus, sit ex gratia Dei. Si vero totum ex gratia, quid remanebit ex merito, nisi id solum, quod legitur apud Esaiam: Quasi pannus menstruatus uniuersae iustitiae nostrae? Hoc an arrideat operistis, et confidentibus in pleno sacco meritorum suorum, ignoro. Verumtamen est effatum aeternae veritatis.*
- Es. LXIV, 6.*
- 1 Cor. IV, 7.* *Quis te discernit? inquit Paullus: Sed et quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Vide igitur, et considera, an aliquid, praeter peccatum, ex te habeas? Tunc demum miriades meritorum tuorum supputare poteris: cum ea, quae dicis, aut facis, bona, si tamen bona sunt, cum tua dicis, non ab alio data, sed a te, velut ex te, profecta esse, demonstraueris.*
- 1 Cor. I, 31.* *Si licet gloriari: quemadmodum scriptum est: qui gloriatur, in Domino gloriatur. Et quemadmodum apud Ieremiam legitur: Haec dicit Dominus: Non gloriatur sapiens in sapientia sua: et non gloriatur fortis in fortitudine sua: et non gloriatur diues in diuitiis suis. Sed in hoc gloriatur, qui gloriatur: Scire, et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et iudicium, et iustitiam in terra; haec enim placent mihi, ait Dominus. Facimus et nos, qui euangelium, non aliam regulam, sequimur:*
- Ierem. IX, 23. 24.*

quimur, bona opera. Sed minime iactamus, neque *Simonis* precio vendimus. Et *elemosynas* damus: Sed ante nos tuba non *Matth. VI.* canimus: quemadmodum faciunt *hypocritae*. Scriptum est enim, *nesciat sinistra tua, quod facit dextra.* Et oramus quotidie *Patrem nostrum caelestem*; sed *Romanam precum Arithmeticam, granis et calculis, aut, in defectu horum, digitis constantem, consulto ignoramus*; quia scriptum est: *oportet semper orare, et Luc. xviii, non deficere.* Et alia facimus: non, quae sint opinione bona, sed quae diuinae voluntati esse conformia ex lege mandatorum eius cognoscimus. Nihil enim re vera bonum est, quod non sit debitum **SVMMO BONO.** Quidquid demum est boni operis, minime, ut videamur, facimus: sed quia ita faciendum erat. Nec aliter volumus, quam debeamus. Debemus autem omnes cogitationes, verba, et opera vnico fini nostro, gloriae Dei, ex quo resultat finis secundarius, vtilitas nostra et proximi. Quicunque igitur opera sua publicari vult, non ex praescripto legis, ut glorificetur *Pater caelestis*; sed ex priuato interesse, *Matth. V, non facturus alias, nisi videretur ab hominibus*; non virtuti laborat, sed illi gloriae, cuius finis, interitus. Quare nos, qui non frustra Protestantes dicimur, in omni bono opere, contra vanam gloriam, protestamur cum *Dauide*: *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* Atque ita meritis Christi, quae *Pf. cxv, 1.* omnino infinita sunt, pure, simpliciterque confidimus, de nostris autem, quae nec finita, nec meritoria sunt, prorsus diffidimus. *Vae etiam laudabili vitae hominum, exclamat Augustinus, si remota misericordia discutias eam! Quem, si pietate seclusa iudicaueris, iustum reperies? Tandem concludit: Domine, si vis, potes me saluare: ego autem, et, si vellem, sine Te non possum.*

Cum ergo nihil ex nobis habeamus, neque ipsam fidem, quae, ut inquit *Paullus*, *Dei donum est*; minus autem bonis operibus *Ephes. ii, 8* gloriari possimus, tamquam iis aliquid mereamur; consequens est: ut praecise gratia et misericordia Dei, per solam fidem, indignis donatam, ceu mendicam quandam manum, apprehendentem et applicantem nobis merita Christi, iustificemur et saluemur. Hoc erat illud tertium; Et animam saluare.



Sed etiam, facta *collatione practica* bonorum operum, ex *una parte*, quae dicuntur *Romanensium*; ex *altera*, quae sunt *Protestantium*: verissimum est hocce *paradoxum*: Cum duo faciunt idem, non est idem.

Experientia, proh dolor! constat: non paucos ^(f) *de plebe homines*, aut turpi ignorantia confepultos, aut praeposteris principiis esse imbutos, qui de substantialibus fidei articulis pessime, nec Catholice sentiunt.

(f) *De plebe homines cet.*


Dolendum sane, plurimos, signanter *de plebe homines*, vt recte innuit Illustr. Auctor, et quidem papali subiectos imperio, adeo a via veritatis aberrare, vt *de substantialibus fidei articulis pessime omnino sentiant!* Enim vero, quod *praeposteris imbuan- tur principiis*, id verissime fieri *concionatorum vitio*, sole clarius probat Illustr. Auctor: dum, *post enumeratos errores, abususque va- rios, atque superstiziosa deliramenta*, altum suspirat dicens: *Vt- nam hi, et huiusmodi errores non irreperent magna ex parte concionatorum vitio!* Bene dicit, *magna ex parte*, in positivo. Nam *ex maiori, et maxima parte* (in comparatio scilicet, ac superlativo gradu) illa *turpis ignorantia*, qua in papatu confepulta iacet *multitudo plebis*, causam trahit ab eorum auctoritate, qui, *ante, in, et post Conciliabulum Tridentinum*, qualicumque praetextu, *Laicis prohibuerunt lectionem sacrae scripturae.*

Vel auditu horrendum est, *fontem aeternae salutis, et li- brum vitae*, quem Saluator *omnibus apertum esse voluit*, claudere, obstruere, obserare audeat vnus homo? O praecclarum custo- dem ouium, vt aiunt. Et quidem *sub reatu mortis aeter- nae positos, salutarique peccatorum absolutione privandos, qui le- gerint, declarare: nisi aut scriptam legendi facultatem exhibeant,*
aut

aut Biblia reddant? (vid. Reg. IV. Conc. Trid. post indicem Libror. prohib.) reddant, inquam, quod non acceperunt; atque ita spiritualibus armis exuti, infensissimis animarum hostibus, carni, mundo, et diabolo, in praedam concedant. O iugum, omni iugo tyrannorum, qui tantum corporibus nocent, atrocius! His ego parvulis, et in fide pauperculis de plebe hominibus subtrahatur medicina salutis, ne sanentur aegroti.

Vtinam vel ipsi sacerdotes, ea, qua par est reverentia, et assiduitate tractarent sacras Literas! Meam, proh dolor! sed veterem confiteor negligentiam, volo confundi coram hoc mundo, ut aliquando excuser coram Christo. *Bis septem, bis denos* inter papicolas vixeram annos. Prioribus XVII. paternarum, haud vili sorte natus, aemulator fui traditionum. Posterioribus totidem annis, *papalium Constitutionum*, in ordine Franciscanorum, non segnibus *Promotor* existii, nam et *Philosophiam*, et *Ius pontificium*, perperam alias dictum *Canonicum*: atque *Theologiam*, quam appellant *speculativam*, duce scoto, pluribus annis monachos docui, quam didicerim. Verum tamen, per omnes annos vitae praeteritos, ne semel quidem uniuersam Scripturam sacram euoluere, tanti esse existimaui. Et profecto, si ordine rogentur omnes monachi, et sacerdotes Romanensium, dum veritatem fateri vellent: facilem eorum iniuremus computum, forte nec uno grauaremur *centenario*, qui, scilicet per vitam, semel integrum volumen Bibliorum perlegere dignati sunt. *Tantus est valor sacrarum litterarum in papatu!* Enim vero, qui possent, imo prae ceteris deberent, negligunt: alii, etiam si vellent, metu *bullarum* nequeunt. Vno verbo, ut veritatem expertam fatear, si, relate ad sacram doctrinam, fiat comparatio *Pontificiorum*, et *Euangelicorum*: hic vnus adolescens annorum *quindecim* magis est versatus in sacris literis, quam ibi sacerdos annorum *quinquaginta*.

Sed quaeso, cur id ipsum, quod viua voce praedicatum est a *Christo, prophetis, apostolis*: etiam literis consignatum sit, et quidem vulgari lingua illius populi, qui Christo, apostolis, aut prophetis conuixerat, nisi, ut quaecunque scripta sunt, intelli-



Rom. XV, *gantur ab omnibus, tamquam omnibus scripta?* Nulla certe conditio, nullusque status hominum (*Si nec tenerrima aetas*) excluditur a sacris Literis. *Omnis enim Scriptura diuinitus inspirata est utilis ad docendum, arguendum, corrigendum, et emendandum peccatorem.* Imo si Christus, quemadmodum omnes redemit, ita vult omnes homines saluos fieri, et ad agnitionem Veritatis peruenire: quis, oro per Deum, et veram fidem, Christianorum, quocunque iure humano, cum ius diuinum pro ipso militet, prohiberi potest a lectione S. Scripturae? Igitur fucus est, oculis dumtaxat simplicium impactus, dicere: In cit. Reg. IV. Trid. non prohiberi Scripturam in se, sed tantum in vulgari lingua, ne plus deriverenti, quam utilitatis oriatur. Nam si vulgari lingua prohibeantur sacra biblia (cum potissima mortalium pars ne Latinam quidem eruditorum, taceo sacras in origine sua, Hebraeam et Graccam intelligat) iam ipso facto in se, ac omni lingua prohibentur iis, qui aliam, praeter vernaculam ignorant. Quapropter concludamus, lectionem S. Scripturae respectu omnium, qui ad caelestem patriam anhelant, esse vilissimam, ac diuinae voluntati plane conformem; tantum abest, vt pio lectori quidpiam inde oriatur detrimenti: vt potius, quicumque non legerint, cum possent, maxima hinc animi detrimenta patiantur. Nollem ego id amplius tristi experimento discere. Iam scio, quid sit esse, absque luce euangelica, in tenebris papalibus, cum fuisse, non corpus dico, sed animam meam pene constiterit.


Non ex Scriptura ortae sunt haereses, quemadmodum calumniantur illi, qui hoc medio suam prohibitionem iustificare volunt; sed ex impia mente hominum perperam intelligentium, peius interpretantium, pessime detorquentium sacras Literas in sensum carnis, et sanguinis a verbo Dei, et Spiritu veritatis alienissimum. Quis dicat, florem esse causam veneni? Tamen ex eodem apis mel fugit: aranea facit venenum. Si non licet, malum facere, vt eueniat verum bonum: eo minus licebit verum malum facere, vt euitetur aliud, quod tantum putas futurum malum. Igitur propter vane formidatam quorundam insaniam, non erat excutienda e manibus fidelium S. Scriptura, sed cor etiam infidelium

lium per eandem ad ouile Christi adducendum erat, liberandumque a iugo diaboli. Profecto, si quaedam vel apparens ratio suffragaretur praetextui Tridentino, non Laici, aut sequior sexus, non plebs, non idiotae, non simplices, quos omnes, non alios ferit cit. Canon Reg. IV. huic interdicto subiacere debebant; utpote pro quibus stat commune adagium: *Non faciet haeresis*: quo tamquam synonymo simplicitatis eximendi potius erant omni suspicione. Igitur, si vel nomen haereseos fuit caussa tam rigidi, subdoliue timoris, fortasse magis a doctis et literatis, qui maxime sacerdotio funguntur, mente autem, et calamo vigent, timendum fuisset, si timendum erat, sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Certe Christus, et apostoli optime praeuiderunt, fore quosdam, qui abutantur Scriptura. Nam et Anti-Christi, falsorumque prophetarum, quos ex fructibus eorum indies magis cognoscimus, saepe mentionem faciunt; nulli tamen vel respectu horum, qui maxime peruertunt sacram Scripturam, extat villa prohibitio: si fors etiam isti, mediante sacra lectione, utinam, o utinam conuertantur! Omnes enim ad se inuitat Christus voce prorsus amabili: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis: et ego reficiam vos.* Nunquam de se dixit sacer Codex: *Non lege me*, cur enim exaratus fuisset? Sed etiam, cum omnes legerint, expresse dicit: *Oportet et haereses esse: ut qui probati sunt, manifesti fiant.* Proinde, omnibus ex aequo, doctis, et indoctis, illis, ne deficiant, si Spiritu profecerunt: his, ut proficiant, si iam inceperunt; imo, ut et inciperent, porrigendus erat cibus iste quotidianus animarum: de quo magis, et frequentius, quam de pane deberet uiuere omnis homo. Si quaeris de sufficientia, nae, omnis egestas, et penuria defolati spiritus, qui a totius mundi bibliothecis vacuus et oscitans dimitteretur, vnico manuali volumine, quod consecrauit Spiritus sanctus, adaequate suppleri potest; imo et impleri pars illa nostri nobilior, quam Dei capacem praeter Deum, et Christum, sola mediante Scriptura nobis reuelatum, quid satiare possit, nescio.

Math. XI, 28.

1 Cor. XI, 19.

Sed



Sed longe aliam *prohibitionis* causam subodorari licet, quam *suspicionem erroris aut Haereseos*, quandoquidem Romana sedes, *medianie bulla Pii IV. data Romae ad XXIV. Martii MDCLIV.* non tam *subiectis*, quam *sibi* cauit callidissime. Procul dubio, qualis *caussa*, talis erat *conscientia*, cui a vernacula Bibliorum lectione vehementer metuit, ne, si ab omnibus passim legerentur, fieret *uniuersalis collatio dogmatum papalium cum sacra Scriptura*. Hac *potissimum* ratione *lux euangelica* per orbem latius effunderetur. Atque ita *splendidissima sedes*, *vix cum paucis*, remaneret sola, *mundo post veritatem abituro*. Postquam enim restituta sunt sac. Biblia veluti quartae parti orbis terrarum, et quidem *solius Dei*, non *apostolicae sedis gratia*, per *unum*, qui frustra contemnebatur, *monachum*, quia *manus Domini erat cum illo*; quidni doluit, et adhuc dolet *Amplissima sedes*, quod amisso *pede quarto*, *TRIPUS* duntaxat remanserit, minus firmus ad fundenda in posterum *vrbi, et orbi oracula*. Si autem, quo casu felici, *tertius* quoque *pes quartum* sequeretur: is, qui *sedet in templo Dei* cet. super eo maxime doleret, quod amplius ex *tripode*, scilicet *infallibiliter*, loqui non posset.

2Thess. II,

Non secus, nisi forte verius dixerim, *tanto magis, quanto apertius*, cauent suis *Romani praesules* a lectione *librorum Protestantium*. Hinc tot *rescripta, edicta, decreta: tot chartae, bullae, indices, et classes librorum prohibitorum*. In hodiernum diem fere per omnes diuisiones, in quas Romana sedes pallium Tertuliani, aut *Phylacteria Pbarisaeorum* extendere potest, summe cautum, et veritum est sub poenis grauissimis, et, quas depereunt, *confessionibus*: ne videlicet *Protestantes* ex *academiis*, vbi studiorum causa commorantur, *libros suos in patriam inuehant*. *Lamentabilis* hac in parte *Hungaria* quotidianis, heus dolor! exemplis famosior redditur, quam vt a me satis recens testimonium audire debeat, expectetque. Dicam tamen, ne ingratus esse videar honoribus, quos aliquando in me liberaliter contulit. Euolutis ab hinc aliquot annis, cum in metropoli Hungariae *POSONII* Theologiam docerem: a *Praedeceessore*, moderni Archiepiscopi Strigoniensis, *EMERICO ESTERHASIO, Protestantium*

Matth.
XXIII.

rum libros, in tricesimis compilatos, reuidenti, censurandique prouincia mihi est demandata. Quid actum sit cum libris, quantae pugnae, quanti conatus in primo feruore decocti, et ut monachorum *inolito mori* parentaretur: cum umbris et laruis decertatum est, *absente videlicet Aduersario*, ne nihil agi videretur, quantus etiam zelus pro *domo, sede et rota sanctissimi* Anti Christi deuoratus sit, non est in procliui determinare. Num vero, post meum discessum, restituti sint libri, fors etiamnum lugentibus eorum possessoribus: illi viderint, *quorum interest metere, ubi non seminavunt.* Vnum illud confiteri, mearum esse partium agnosco, quod, quae cum Saulo *mane* rapui, *vespere* cum Paulo diuiserim spolia. Ad libros inquam, primo impetu, vel *nomine* Protestantium offensus, ut lupus rapax, quemadmodum fert *rosas insigne meum*, accessi. A libris tandem, ipsa veritate conuictus, ut mitis agnus, quemadmodum fert *pacem insigne Christianum*, recessi.

Haec erat *prima mutatio dextrae* EXCELSI. Deinde paulatim (vt aiunt, *sensum sine sensu, non statim exuta pelle veteri*: cognoueram illius *Dauidici* versus aeternam veritatem: *Non est hominis via eius: nec viri est dirigere gressus suos*, quandoquidem longe aliud inopinanti acciderit, quam reuisione librorum intendebatur. Exemplo exemplorum praeiuit Paullus, qui dum maxime furebat aduersus Christi ecclesiam, ille quidem *repente*, factus est ex *persecutore* summus *doctor Gentium, et apostolus*. Huic ego comparatus, *nihil sum*: nec Paullulus dici possum. Verum tamen summam Dei misericordiam praedicare non cessabo: qua (vt inquit Augustinus) *maluit Deus a principio de malis nostris benefacere: quam nulla mala permittere* Non errauero, si dicam, hanc esse illam, vt vt *ineffabilem*, diuinae misericordiae sapientiam, quam intra se tabescentes capere non possunt *omnes mundi sapientes*. Huiusmodi salutarem *metamorphosin*, cuius et me indignum participem facere dignatus est misericors Dominus, ex corde precarer omnibus futuris post me *censoribus librorum Protestantium*. Sed quoniam donum verae fidei est *donum omnium donorum maximum*, neque omnes capi-

D

ent

ent *verbum hoc*: Nihil aliud succurrit, quam exclamare: Mirabilis Deus in donis suis, *qui humilia respicit: et alta a longe cognoscit*. Omnium potentissimus est Spiritus: sed attende, quia *spirat ubi, et quando vult: et nescis vnde veniat, aut quo vadat*.
 Iob. III, 8. Nisi ergo inde, *ab aeternis montibus*, veniat *sacer ille radius*: vnde est *omne donum perfectum, et lumen de lumine a Patre luminum*: lapis est *cor humanum*: aut si quid *silice durius excogitari potest*. In caelum feruntur *omnia vota*: Vento et procellae paratur omnis labor: Semper denique fluctuabimur, et inter scopulos haerebimus: nisi *dextram suam*, indignis quidem, sed apprehendentibus, *baud reluctantibus*, Pater ille caelestis benigne porrigat, quemadmodum inquit Saluator: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui*
 Iob. VI, 44. *miserit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in nouissimo die*.

Sapientis effatum est. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Quid tandem? Si omnes
 Prov. XXI libri tollantur *Protestantibus*, sola relinquuntur *Biblia*: quid inquam profectum est? *Mentem eis, et bonam voluntatem*, quam dedit Deus, nemo auferre potest. Omnes eorum libros, *signanter theologicos*, lege tantum, ex meris Bibliis constare, miraberis. Nec abs re dictum putes: nam ad *sacram Scripturam*, vnde proh nefas! per *inventiones, traditionesque humanas abducti* eramus, *reducunt fideliter*. Bene profecto didicerunt qui cum illo, semper cum veneratione nominando MONACHO B. LUTHERO: feliciter inchoarunt a *primo Principio omnium principiorum, VERBO DEI*, quod et tenent firmissime: a quo iam, *per nullam potentiam, in saecula saeculorum, dimoueri poterunt*. Etsi enim libris suis, contra fas iusque Gentium, toties priuentur: viuunt tamen in eis *verbum*, quo compositi sunt libri. Et *ligna, et lapides* docebunt eos veritatem, quam ex libris, *apud vos latentibus, aut combustis*, legere non poterunt. Omnes denique creaturae, *tanquam aperti, patentisque rerum omnium libri*, deducunt veros Christi fideles ad suum *CREATOREM et REDEMTOREM*. Quid multis? Noli mirari, si vnum adiecero: Inter tot hostes capitales, tantasque statim ab exordio machinationes, velut inter malleum, et incudem posita, *millies iam delera fuisset*


isset religio Lutherana, si non sola veritate, et euangelio Christi stetit. Sed, nec alio, quam hoc fulcro sustentata, persistet vsque in diem iudicii.

(g) **Q**ui reuelationi cuidam fortassis apocryphae, h) miraculis minime probatis, (i) superstitionis nonnullis deliramentis firmiorem longe fidem habent, quam Verbo Dei scripto, et (k) non scripto: quam testimoniis Prophetarum, et apostolorum, quam euangelio Christi.

(g) *Qui reuelationi cuidam, cet.*

Completo iam, et obsignato Canone Scripturarum: frustra expectantur nouae reuelationes diuinae. Nam *lex, visio, et propheta usque ad Christum, et Ioannem.* Iam suo tempore cauit Paullus Corinthis a Pseudo apostolis, et ministris Satanae, transformantibus se in Angelos lucis. Quanto magis cauendum erit hisce remotioribus a Christo saeculis. Perperam venditantur in Papatu somnia quarundam monialium pro diuinis reuelationibus. Scimus enim, cuius sint generis, et habemus lapidem Lydium, quo discernimus aurum a scoria. Mirum est sane, quod eiusmodi reuelationes non facile viris fiant, sed mulierculis, et monialibus, assistente nimirum spiritu, non sancto, sed familiari monachorum, vt tandem prodeat clauus ex facco, quemadmodum prodierunt nouissimae reuelationes sub titulo: MYSTICAE CIVITATIS DEI, primo in Hispania; deinde per Italiam, Austriam, Hungariam, Bobemiam diulgatae, iam Brigittanis, iam Gerbrudianis, iam aliis eiusdem sexus, et momenti palmam eripiunt. Noua placent nimium credulis, quae iterum displicebunt, cum nouiora successerint. Quisquis oculatior hanc nouam, et mysteriorum monialisticorum plenissimam ciuitatem perlustrauerit, e vestibulo cognoscet, reuelationes Agredanas,

Apocal. xxii. 18. 19.
Dan. IX. 24.
Matth. II, 13.
2 Cor. XI, 13. seq.



danas, non, vt superbissime iactant, a Deo, a sanctissima Trinitate, a B. Virgine, Angelisque Dei factas esse; sed a quodam monacho Franciscano Hispano, *Mariae de Agreda Abbatissae Confessario*, instillatas, quem omnino eximium *Sophistam*, dicere volebam *Scotissim*, fuisse, constabit per totum librum, duobus voluminibus in folio diffusum; nisi fors haec ipsa monialis Scoti fuisset *discipula*. Iam ab aliquot annis in *rotâ Canonizationis* versatur *liber*. Obstat *Sorbona*, cum *Dominicanis*, praecipue vero vnus *Cardinalium*, quem appellant *diabolum rotæ Romanæ*: tamquam ex proposito contra dicere debeat: ne videlicet vltima sententia, ex Cathedra S. Petri ad populum dicenda, quod antenus vacillet. An iste *personatus*, *ceterisque prudentior diabolus*, qui hactenus, praeter opinionem multorum, *aduersus librum* stetit fortiter, iam a quodam *Angelo eiusdem rotæ* sit conuictus, incertum est. Tam diu enim *revelationes Agredanae*, quas probabilius intelligit *Illustr. Auctor*, manebunt *apocryphae*. Verum tamen a Franciscanis, *quibus debent originem suam, pie credendorum* titulo, immediate post *Scripturam*, honorantur. Tenor earum est, *vitam Christi et Mariae virginis ab infantia pertractare*, signanter quoad *mysteria, apostolis, et euangelistis intacta, vel praetermissa*, quorum meminit *Ioannes XXI, 25*,

(h) *Miraculis minime probatis.*

Miracula, cum sint *effectus infinitae potentiae, rari, et insoliti supra ordinem totius naturae producti*, non facit Deus absque summa necessitate. Iam igitur, *fatis, superque confirmata per orbem doctrina euangelica*, haud egemus *nouis miraculis*. Non enim alium praedicamus *decalogum*, quam, quem stupendis miraculis confirmavit Deus per *fidelem seruum suum Mosen*. Nec aliud *symbolum Christianae fidei*, nec aliam *Orationem dominicam*: Non alia, nec plura *sacramenta* statuimus, quam quae *instituit Christus, et in Euangelio publicata sunt nobis*. Neque enim *miracula illa in nostra tempora durare permessa sunt*, inquit *Augustinus, ne animus semper visibilia quaereret*. Dudum ergo cessarunt


runt *vera* miracula: licet eorum, quae opponuntur *veris* (haec vocat Illustr. Auctor minime probata) *infinitum esse numerum*, haud inuiti concedamus ecclesiae Romanae; quorum si *catalogum* texere propositum esset, non *aliquot paginae*, sed *libri* conficerentur. Tandemque *ex partu rotarum montium prodiret ridiculus mus*.

De *bodiernis*, quae ad nauseam crepantur, *miraculis*, nisi quis decipi velit, non credat *auribus*, sed *oculis*. Non sunt contemnendi *luristae*, apud quos *praeualet vnus testis oculus* centum *auritis*. Peragrentur, si lubet, *Austria*, *Hungaria*, *vicinaeque regiones*, gloria *miraculorum ex auditu famosissimae*. Producatur vel vnus *testis oculus*, qui se dicat, *sed vere dicat*, esse, aut saltem vidisse *mortuum suscitatum*, aut *caecum natum* deinde *illuminatum*, aut aliud, quod sit *absque controuersa miraculum*. Plurimi dicent, se audisse in *Italia*, in *Hispania* (forte *Galliam et Parisios* excipient) multa contigisse *miracula*, quae, scilicet *Romana sedes prodigiorum feracissima*, beneficio *typi*, atque *bullarum*, nec non *L. S.* id est, *loco sigilli, confirmata*, per orbem dispensare solet. Ex aduerso: Si *Italiam*, *Hispaniam*, *orasque* his adiacentes permeaueris: non pauca de *Austriacis*, *Hungaricis*, *Polonicis*, *Bobemicisque* *miraculis* audies. His *rumoribus*, et *opinionem sanctitatis adeo miraculosae*, simplex *plebucula* haud difficulter continetur sub *ingulo papali*; iurabit quoque non aliam religionem, quam quae *similibus coruscat portentis*, esse veram: imo petulanter insultabit *ceteris*, dicens: *Vel vnum exhibere sanctum vestrum, qui rotam canonizationis Romanae subierit*. O stupor! o gaudium! *Videbitis aliquando plures a patibulo, ex rota fracturae ossum recipiendos in sinum Abrabae, quam a rota Romana*. Interim et Christi *sententiam* legite. - .

Matth.

VIII, u. 12.

Profecto, si quidam *fictione miraculorum* abstinerent, alii ab effectu, qui *mirabilis* apparet, statim ad *miraculum*, inueterato iam *praeiudicio*, non concluderent: aequae nulla *in coetu Romano*, ac *inter Protestantes* inuenirentur hodie *miracula*. Si rerum causas cognoueris, scies, in hac *vniversitate rerum nihil esse adeo mirabile*, praeter ipsum *Auctorem naturae*. Fecerunt tempore *Mosis*, etiamnum, si lubet, concedamus, faciunt magi,



ac pseudo-prophetae mira quaedam *signa*, et *ostenta*; quandoquidem magna est Satanae, Deo permittente, potentia; sed non faciunt, nec facere possunt *vera miracula*. Praeclare dixit Lactantius: *Si absque Scriptura, et contra Scripturam ex solis prodigiis de cultu Dei statuendum esset: iam dudum vicisset ethnica religio*. Si vis, et illud largimur, in primitiua ecclesia tantam fuisse quorundam electorum fidem, vt, si tulisset necessitas, montes quoque transferre potuerint. Sed iam *obtento fine*, quem Christus miraculis intenderat, cessarunt *et media*. Remanet igitur necessaria sola fides saluifica, non miraculosa. Maiores certe montes, petrosi illis, sunt peccatum, Satanas, et verus homo, quos omnino superare ad salutem ita pertinet, vt aut vincere, aut vinci ab eis sit necesse. *Maius est, se ipsum vincere*, inquit Bernardus, quam mortuos suscitare. Nemo, quia miraculum aliquando parauit, ideo saluatus est; sed quia in Christum credidit. Num quid propterea dices, afinam Balaam meruisse rotam Canonizationis, quod praeter, et supra ordinem suae naturae loquuta sit? Quid plura? Vnum sufficit. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Qui sunt corriti corde, spirituque humiles, non affertant quaedam grandia, neque ambulant in magnis, neque in mirabilibus super se. Iam inter hos, qui cum Dauide humiliter sentiunt, ac inter illos, qui cum diabolo miracula expectantes, Deum tentare praesumunt: tanta est differentia, vt facile concludas, apud quos sit vera religio.

(i) *Superstitiosus deliramentis.*

DUOBUS *terminis* multa complexus est Illustr. Auctor. Quidquid enim abusuum, errorumque in Papatu est: hos omnes aut peperit, aut promisit superstitio: praepostera illa peruersaque Deum colendi ratio, qua, sub specie religionis Atheismum euitaturi, sed medium ignorantes aut, quod est peius, contemnentes, in aliud extremum prolapsi sunt. Tot namque *superstitiosus deliramentis*, vt phrasi Auctoris utar, a vera fide aberrant: quot modis aut aliud, quid illud sit, praeter Deum, aut ipsum Deum aliter, quam velit, ac praecipiat in sacris Literis, colunt.

Quis

Quis haec omnia: si, vel ab ortu solis, ordiatur vsque ad occa *Matth.*
sum enumeret? *Bene*, inquit Saluator, *de vobis, hypocritae, prae. XV. 7. seq.*
dixit Esaias: Appropinquat mihi hic populus ore suo, et labiis me
Es. XXIX.
honorat; cor autem eorum longe est a me. Frustra me colunt, do-
centes doctrinas, mandata hominum. 15.

(k) *Non scripto.*

Verbum non scriptum, per quod intelliguntur *traditiones*, vel
est *contra*, vel *citra* euangelium. Quidquid dicatur: *non*
est obiectum fidei diuinae. Si *primum*, certe non *sequi*, sed *fuge*
oporter omnem Christianum id, quod est *contra euangelium.*
Si *alterum*, quasi *traditiones Papisticae per continuam successione*
in ecclesia sint conseruatae: quaero, vbi est illa continua successio in
caussis grauissimis, in quibus ecclesia Romana manifesto desciiuit
ab antiqua Christi et apostolorum institutione? Vt alia praeteream,
toti mundo nota sunt exempla: Interdictum lectionis sacrae
Scripturae: et abstractio Calicis ab ore Laicorum. Haec non mo-
do *citra*, sed *contra euangelium esse*, nemo non videt, qui nouit
sacras Litras.

Deinde: licet non omnia, quae dixit, aut fecit Christus,
ab euangelistis scripta sint, vt inquit Ioannes: *Si scriberentur*
singula, nec mundus caperet libros, nihil tamen eorum, quae
ad fidem, ad mores, ad salutem pertinent, omisum est. Prae-
clare dixit Cyrius: *Non omnia, quae Dominus fecit, conscripta*
sunt, sed quae scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt
sufficere. Item Augustinus: *Electa sunt, quae scriberentur, quae*
saluzi credentium sufficere videbantur. Vt quid ergo multiplican-
tur *entia crescentium indies traditionum absque necessitate, imo*
sine veritate, nisi forte omnia, quae gessit Christus, nec pro-
diderunt euangelistae, soli teneant Pontificii. Huiusmodi
specimen, quasi defectus euangelistarum suppleturi, obtruse-
runt nuper in *Reuelationibus Agredanis.* vid. lit. g. *O plenas mi-*
raculorum traditiones cum reuelationibus nouissimis, quae suo am-
bitu complectantur eas res omnes, quas ne mundus quidem
comprehensurus erat, si literis mandatae fuissent! Graeci quo-
que

Ioh. XX, 25
Cyrius. Lib.
XII. in Io.
Cap. vii.

Aug. Tr.
49. in Io.



que Patres ad suas traditiones, Romanis contrarias, prouocant: hi illas, illi has pro falsis habent. Quis tandem finis erit? Vbi consistet *veritas*, quae in tot *puteis* extra Scripturam *defossa* quaeritur?

Qui per omnes ecclesias (1) *indulgentias sectantur*, cum tamen ignorent, quid indulgentia sit, aut quibus requisitis lucranda qui in deuotionibus priuatis, (m) *in sancti cuiusdam cultu*, eiusque icone plus spei reponunt, quam in meritis CHRISTI: * IN QVO tamen SOLO OPORTEAT NOS SALVOS FIERI, qui grauiori sibi conscientiae ducunt, Confraternitatis cuiuspiam leges transgredi, quam Decalogum Dei.

* Act. IV, 12. Hoc est illud *compendium euangelicum*, aureis exprimendum literis: quod si *vere* crederent ac obseruarent *Papistae*, iam ipso facto *non essent Papistae*.

(1) *Indulgentias sectantur, cet.*

Subtilissima redargutione connectit Illustr. Auctor indulgentiarum *in numero plurali* affectationem, cum ignorantia indulgentiae, *in numero singulari*; haec enim, vt *vera*, ita *vna* est a solo Deo: illae per orbem papisticum, tamquam essent quoddam *infinitum syncategorematicum*, *fiute in infinitum*, solo aeris medio, *sine rationis modo* multiplicatae: quanto ab *unitate* Dei, tanto a *veritate* rei, quam notat *vna et singularis indulgentia*, recedunt. Frustra igitur per omnes mundi ecclesias *quaeruntur indulgentiae sine vera fide*: Haec est *primum*, *summum*, et *unicum requisitum*, quo posito, *statim adest*, quo absente, omnino *impossibilis* est *vera peccatorum indulgentia*; quam solus IESVS CHRISTVS dare potest, *non Romanus Pontifex*, aut alius homo, *nisi sit etiam Deus*.

Deus. Hac enim potissimum ratione probavit Christus, se esse Deum: quia peccata remisit. Habent quidem, post apostolos, etiam ministri verbi Dei *claves ligandi, atque solvendi*, non a Pontifice Romano, sed a Christo, per *Nouum Testamentum*, sibi delegatas. Verum haec potestas ministrorum non est auctoritativa, quae soli Christo competit, sed ministerialis duntaxat, ut, qua ratione vera fides ex parte subiecti est illud laudatum requisitum, quo soloposito, datur, quo solo ablato, nulla est vera indulgentia, eodem motiuo, omnis causa indulgentiae sit summa Dei misericordia, non Simonia (*fons, et origo papalium indulgentiarum*) cuius haeredes, imo et successores, omisso nomine Petri, retento Simonis, libenter fatemur, esse Romanos Pontifices: qui ut thesaurum semper duraturum Romae conderent, ANNVM IUBILAEVM non tam excogitarunt, quam, re materialis in fucum spiritualem conversa, nomen duntaxat a veteribus mutuantes, instituerunt; imo, aucta, per vices, grandi superstitione, bullas, videlicet, bullis accumulantes, confirmarunt. Duxerat BONIFACIUS VIII. aerae Christianae Anno cloccc, utpote qui primus, teste Platina, scriptore Pontificio, annum centesimum, specioso nomine iussit esse Romanis auriferum, dicere volebam, Iubilaeum. Sed CLEMENS VI. ne tantae pietatis montes longaeua expectatione attenuarentur, centesimum quinquagesimo permutavit. Tandem Sixtus V. Franciscanus, de quo dictum est: *Nunquam fit Sextus, olim paupertatem professus, ut eo plures inuitaret ad augendum inexplebilem thesaurum thesaurorum ecclesiae Romanae, tamquam breuitari vitae humanae consulturus*, annum viceesimum quintum pro quinquagesimo sanctum esse voluit. In hodiernum diem durat constitutio; nisi quod omnis Sixti V. successor et abbreviare tempus, et causam frequentandi iubilaei, pro arbitrio indicare possit. Certum est, anno illo, qui per figuram Rhetorices sanctus Romanis dicitur, innumerabiles ab omni angulo mundi, tam aureis, quam peccatis onustos, ad deponendum gratum et ingratum onus Romam conuolare. An aequae peccatis vacui, ac aureis inanes patriam repetant, ipsi viderint, qui tristes et famelici, solis, ut aiunt, reliquiis, et mortuorum ossibus, pro parato aere, lo-

E

cuple.

cupletati, redeunt. Nemo argutetur, me intima conscientiarum scrutari. Ego neminem iudico; *erit aliquando, qui omnes palam iudicabit*, sed vereor, ne tot *Romipetae* magis *cauteriatam conscientiam*, quam intulerint, ex iubilaeo reportent. Non nunquam *dormitat vermis ille, sed mori non potest*. Omnia discernet vltimus dies, quo *triumphabit veritas, osque suum oppilabit iniquitas*: quandoquidem comparebunt multi in extremo iudicio *pleni papalibus bullis*; sed *vacui*, quae sint verae a Christo, *indulgentiis*.

(m) *In sancti cuiusdam cultu cet.*

Quomodo animae piorum a corporibus separatae, cum in caelo simul, et in terra esse nequeant, audire possint supplicum preces, ratio nulla suadet, fides absque reuelatione ignorat. Nisi ergo hunc *ineffabilem audiendi modum*, nec in *libro naturae*, nec in *libro vitae* contentum, velut dicitur, *ad oculum demonstrauerint Romanenses*: in cassum tot saeculis fatigauerunt sanctorum aures. Alioqui furdo narrare fabulam, lepidum est. Profecto sancti, etiamsi vellent, neminem *per se* iuuare possunt. Christus autem, *et vult, et per se potest, et opitulatur* omnibus *inuocantibus nomen suum*, quandoquidem iure iurando asseueravit: *Amen, amen dico vobis: quidquid perieritis, non sanctum aliquem, aut sanctam, sed Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Quapropter dato etiam, non concesso: quod secreta cordium nostrorum, quae soli Deo patent et Christo, sancti aliquatenus intelligere possent: frustra id per plures intenditur, quod per *VNUM* et *citius et melius* non tantum fieri potest, sed fit quotidie. Si enim omne id, quod (*ex byporbesi* *auditus* necdum probata, minus probanda) pererem a sanctis *mediate*, possum impetrare a Christo *immediate*, cum sit *infallibile iuramentum* eius: cur ad sanctos in re tam dubia, incertaque recurram, imo certissimum pro incertissimo dimittam? quemadmodum illi faciunt, quos iustissime redarguit Illustr. Auctor, *qui nimirum in sancti cuiusdam cultu, aut icone plus spei reponunt, quam in meritis Christi*.

Iob. XVI,

23.

sti. Vbi mens? Vbi ratio? Vbi consilium? Quisquis in rem adeo incertam nititur, similis est desideranti effectum a causa non causa, id est, ponenti causam, cuius effectus semper desiderabitur. Si non est diuinum praeceptum de inuocatione sanctorum, aut vnum ostende, scis te omitendo haud peccaturum. Si autem inuocaueris, in tantae rei controuersia, quae te latere amplius non potest, non eris absque formidine oppositi. Tutiolem porro sententiam, si alias in genere moris, quanto magis in materia fidei eligendam esse, nosti. Credis etiam, si Christianus es, in Christo, et per solum Christum te saluari posse. Tutissimum ergo est die noctuque inuocare vnum Mediatorem nostrum, IESVM CHRISTVM, qui sedens ad dextram Patris, semper interpellat pro nobis: in quo SOLO, vt genuine confitetur Illustr. Auſtor, oportet nos saluos fieri. Si autem in SOLO CHRISTO: iam nihil est aliud, quid quid illud sit, in quo, aut per quod saluari possimus. Respice terram: vnus est Saluator: Intuere caelum: vnus est Mediator inter Deum et homines, Christus Iesus. Quicumque igitur aliam praeter; aut contra hanc diuinam, auroque dignam sententiam sequutus fuerit, videat, ne post innumeros errores, tandem in nouissimis vanam spem, quam in creaturis, vrcunque sanctis, collocarat, cogatur deplorare.

Act. IV, 12.

Hi et huiusmodi errores, vtinam non magna ex parte irreperent eorum vitio Concionatorum, qui parum pensi habent, quid, aut quomodo auditorem doceant: si modo merces suas viliores reconditis melioribus venum proponant. (n) *Calamitosis illis temporibus*, quibus ecclesia Dei in Germania nostra foede discissa est: sacris oratoribus in vitio dabatur, quod plurima de sanctis, de indulgentiis (o) *de rosariis*, de imaginibus, de processionibus, et id genus adiaphoris verba facerent:

nihil pene dicerent de Christo, et veritatibus fidei. Hoc vitium per Concionatores non vltos repullulare intelligimus, qui, *de sanctis disertis, de Sancto sanctorum obmutescunt. Qui cultum gratiosarum imaginum, aut vere, aut putatitiae miraculosarum* omni contentione commendant: et (p) *Fontem omnis gratiae, Christum, Causam unicam iustificationis, et salutis nostrae* negligunt, qui confraternitatum suarum indulgentias, et priuilegia maiorem in modum extollunt, et quod vnum necessarium, praecepta Dei, et (q) *ecclesiae* diffimulant.

(n) *Calamitosi illis temporibus cet.*


Illis inquam temporibus, quando in *ecclesia Romana* deferbuit *vera pietas: euauit prisca fides: sinceritatem excepit fraus, dolus, iniquitas. Sanctitatem mentita est hypocrisis, et simulatio: Denique abusus, error, superstitio per vniuersum grassabatur, tam foeda, et abominabilis erat ecclesiae, non Dei, sed Romanae facies, vt omnino tolerabilior videretur Iudaeorum conditio, qui legalibus duntaxat sarcinis, non humanis praesumptionibus subiciebantur. Et profecto, nisi misericors Deus electis suis, beneficio reformationis tam sanctae, quam necessariae, per vnum monachum, cuius memoria apud omnes pios in benedictione est, mirabiliter succurrisset; iam prope erat, vt omnes tamquam Sodoma, et Gomorha fuissetis! Hic iam exclamare liceat: Rupta est in partes nauis Christianorum, saluet se quomodo quis poterit! Sed quis poterit constitutus in medio maris huius, torque procellarum circumactus gurgitibus, nisi tabulam meritis Christi laeuigatam sustentatamque dicto citius arripiat? Quae scilicet, post magnum istud Christiani orbis naufragium, miris quidem agitata fluctibus, sed per illum: qui superbis resistit, humilibus autem*

tem dat gratiam, feliciter emergens, stat iam in portu salutis, quam vni debet EVANGELIO; extra quod (audiatur aeternae Veritatis sententia) frustra omnino salus quaeritur, quia nunquam inuenietur. Vnum enim duntaxat, et non aliud sub caelo nomen, quam, quod est super omne nomen, datum est hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Idem autem est auctor sanctissimi euangelii, qui et sanctissime appellatur DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS.

AET. IV, 12.

(o) De Rosariis.

Dominicanis auctoribus: Franciscanis promotoribus, inuoluit rosariorum superstitio, quorum diuersa habent genera et species. Praecipua sunt, quae dicuntur coronae Marianae, tot granis, veluti rosae, contexta, quot annis credunt vixisse B. Virginem. Item psalteria eo dicta, quod ad imitationem Psalmorum Davidicorum content CL. granis. Singulas porro decades interpolant maioribus granis, eo fine: vt postquam decies recitauerint saluationem Angelicam: Ave Maria, cet. subnexa precatone: sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis, cet. tandem aliquando per filium demittunt vnum Pater noster. Quid hoc aliud, quam quod toties praeferant B. Virginem Christo? creaturam Creatori, et Redemptori suo? Non semel dictum, atque inculcatum est pro ara, pro rostris, pro concione: Omnia per Mariam vult nos habere Deus. Vbi hoc scriptum est? Quid amplius restat, si hoc ipsum non est, quod dicere volo, nisi vt diuinitatem tribuant creaturae? Si omnia per Mariam, quid ergo per Christum? Sed scrupulose numerant in granis preces suas, meritisque rosariorum, quo quis plura per vitam detriuerit, concertant; quasi Deus ignoret, quoties, granum post granum trahendo, labia mouerint. Celeberrima sunt Franciscanorum, dicta Hierosolymitana, quae nimirum ex contactu sacratissimi sepulchri, etiamsi nec Hierosolymas viderint, nam et passim venalia prostant, tantam vim contraxisse putantur, vt vel in sacco gestata, vel a cingulo pendula suos baiulos inexplicabilibus onerent indulgentiis. At vero,



posteaquam hi *rosariorum cultores, inuentores, ac promotores* acerrimi satis superque luserint pro, et cum *rosariis*, tandemque somnum suum dormierint, nihil inuenient in manibus suis, praeter *unum ligneum rosarium*, cum quo etiam in *funebri sarcophago* condi volunt, tamquam aliquid mortuo prosit, quod per vitam, *tantorum caussa meritorum* iactabatur, quanta nullus *Aritbmeticus simplici numero* comprehendere valeat, nisi *meras: O: nullas adiecerit.*

(p) *Fontem omnis gratiae Christum cet.*

Fonte salutis neglecto, quidquid aliud cogitent, loquantur, agant homines, in suam perniciem laborant. Huius neglectus rationem, vt saepe alias per epistolam, ita praesertim hoc loco iustissimam reddit Illustr. Auctor, quia non nulli Concionatores, vtinam vel pauci essent, *de sanctis disferri, de Sancto sanctorum obmutescunt.* Quot voces, tot pondera. Item, *quia cultum gratiosarum imaginum, quas putant esse miraculosas, omni contentione ipsi quidem commendant: alii vero, caeco impetu caecos duces sequuntur.* Sed ne quis in *Papatu* existimet, si non plures, *aliquam saltem esse miraculosam imaginem, discrimen miraculorum veri a falso ex fine et effectu eorum audiat: Tempore inquam Christi et apostolorum in primitiua ecclesia vera fuere miracula, quia per illa homines a creaturis ad Deum, et Filium eius, Christum, ducebantur; ergo ratione contraria: Quaecunque modo simplicibus appareant prodigia, haec non sunt vera, sed commentitia miracula, quia per ista mentes hominum a Christo ad creaturas, imo ad mortuos, et quaeque inanima, vt ad sculprilia, picturas, ossa, pannos cet. traducuntur.* Denique ad concludendum, quod nulla, *quantumcunque gratiosarum imaginum, sint vera miracula: Sufficit vel haec vna Illustr. Auctoris sententia, quoniam per ista fons omnis gratiae, Christus, et caussa unica iustificationis atque salutis nostrae negligitur.*

(q)

(q) *Ecclesiae praecepta.*

Per ecclesiae praecepta si quis intelligeret ea, quae a vera ecclesia per ministerium verbi Dei ex Scriptura proponuntur, vt omnino eadem sint mandata Dei ratione auctoritatis, et ecclesiae ratione ministerii; hæcenus bene quidem. At vero, statim, ac proferuntur hae voces ecclesiae praecepta: omnis Pontificus palam confitebitur: se nec Decalogi praecepta, nec aliud in Scripturis mandatum intelligere: sed decreta quaedam Pontificum, sub graui peccato, et reatu mortis aeternae subiectos obligantia. Omiserrimam seruitutem, qua cogaris ad inferos etiam si, per concessum, omnia Dei praecepta impleres. Pro multis pauca liceat commemorare, quae maxime in vulgus nota sunt. Diebus Dominicis, aut Festis, quorum alia vbique, alia certis tantummodo locis, pro diuersitate sanctorum, celebrantur, non audire Missam, est grande piaculum, licet nemo de plebe intelligat, quid sacerdos in solemni Missa decantet, aut in priuata demurmuret. Sed audire verbum Dei, quod possit, imo deberet ab omnibus intelligi, cum salus per fidem sit: fides autem ex auditu, non est praeceptum ecclesiae Romanae; consiliis duntaxat, neminem ligantibus, nisi fors vouerit, adnumeratur. Item: A quo tempore calix benedictus contra ius diuinum Laicis denegatur: cum tanto rigore obseruatur hoc iniquissimum praeceptum, vt, qui iuste, ac pie maluit sequi testamentariam Filii Dei institutionem, quam Pontificum Romanorum praescriptionem, habeantur velut Ethnici et publicani. Omnium denique praeceptorum papalium veluti anima quaedam est illud splendidum ieiunium, a quo scilicet cumulus pendeat meritorum. Dicitur quidem, exemplo quadagesimae Christi, ad mortificationem carnis institutum, ideoque substantiam eius volunt esse abstinentiam a carnibus. Verum tamen exquisitis piscibus, ouis, lacticiis, aliisque id genus, fartis, assis, frixis, optimeque conditis eduliis semel in die ad saturitatem, ne dicam ad ructum, vesci liceat; signanter iis, quorum exemplo ceteri componuntur. Sed iam vetus mos, vsusque gubernii papalis obtinuit, vt illorum sit, leges condere, aliorum obser-

seruare. Qui ieiunia praescribunt, omnium lautissime viuunt, bene pauperes ieiunant, non tam ad praescriptum Pontificis, quam ad *communem regulam necessitatis*. Vespertinam refectionem, quia *bis ieiunant in die*, appellant *diminutiue collatiunculam*; sed *ampliatue commessantur*. Nam inter pocula disputant de *unciis*, quantum videlicet quis eorum possit edere, vt adhuc ieiunium obseruare videatur; interim *per obliuionem libras cum unciis* absument. Vel inuitus aderam eorum nugis, et audiui non semel hypotheses chymaericas, quarum *vna ceteris plausibiltior* haec erat: Si quis vnum bouem suo posset concludere stomacho, an liceret eidem, *illaesa ieiunii essentia*, quadrantem bouis in praefata *collatiuncula* sibi vindicare? Et responsum est ex hypothesi, *iuxta communem affirmatiue*. Ratio data: quia *vnus altero capaciorem habet stomachum ad inferendas conclusiones ciborum*. O ventris ingluuiem! O crepundia monachorum! Inter *vinum et cereuisiam* serupulose distinguunt, quasi haec *frangat ieiunium*, illud potius *acuat*; hinc fideliter illis diebus abstinent a *cereuisia*, dicunt enim, quod sit *maledictus piscis in tertia aqua*. De Vino bibunt, quantum volunt, alii, quantum capere possunt: non nulli, quantum etiam non possunt. Sed praeclare, nec ad insipientiam carnis dictum est: *Vinum non frangit ieiunium*; ita *communis moralistarum*. Imo dicam ego: *nec frangere potest*, quia *vinum non est quid durum*, in quod impingens ieiunium, frangi possit. Sed quoniam *vinum est liquidum, et suauiter fluens*, exurgit noua quaestio monachis resoluenda: *An vinum submergere possit ieiunium?* Quid ergo est tandem ieiunium papisticum? Quoniam ob *amplitudinem* suam definiiri non potest, describatur saltem eo, *quid non sit*, quo melius cognoscatur, *quid sit*. A *carnibus* ad *pisces*, a *cereuisia* ad *vinum*, a *vilibus* ad quaeque pretiosa grauique saporis obsonia conuolare, non est ieiunium, nec temperantia: minime praetensa corporis *mortificatio*; Sed, vt verbo concludam, *est minoris voluptatis in maiorem gratissima translatio*. Ad hoc probandum non est opus ratione; sensum gustus iudicem apello, cuius equidem sententia est: *eorundem ciborum assiduitate*

rate fastidium, varietate appetitum excitari. Quisquis igitur ieiunare vult, non more papistico, sed vere Christiano, primo ieiunet a vitis, semperque esuriat ac sitiat iustitiam Christi. Deinde, si etiam ad mortificandum, spirituique subiiciendum corpus, memor tamen libertatis Christianae, aliquo die sibi ieiunium indixerit; aut nihil manducet illo die; aut, si hoc durum videtur, sit pane et aqua contentus: Fames et sitis constat his duobus terminis, quibus naturae desiderio satisfaciet, non voluptati. Hoc iam erit formaliter, non splendide ieiunare. Quis enim est adeo rerum ignarus, atque humanae constitutionis expertus, qui sibi persuadeat cum ea ratione viuendi, illoque ieiunio, ad quod singulariter episcopi, sacerdotes, monachi, regulares laxissime adstricti sunt, castitatem, heu tot votis! mancipatam consistere posse? nisi, quod praefati longe delicatius, exquisitius, lautius, quam uxorati viuant; nihilominus casti videri, et praedicari volunt a populo; non esse. Ex his, velut aiunt, cognosci ex vngue leonem, facile iudicari possunt cetera ecclesiae Romanae praecepta, cuius sint generis.

Quod Deus olim Ieremiae dixit, id cuique legitime vocato Concionatori hodie dum repetit: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Ier. I, 9. Igitur Verbum Dei dispensare debet Concionator. Qualiter vero id praestat, si de dogmatibus *saluificaefidei nostrae, de Christo eiusque meritis infinitis, de misericordia, et iustitia Dei: de supernaturalibus poenitentiae motiuis, de grauitate et horrore peccati, de fide, de spe, de caritate Dei, et proximi: ceterisque necessariis altum taceat; et solummodo adiaphora quaeque, speciosis, et vtinam non persaepe male fundatis argumentis per-

F

sua-

suadere nitatur. Hinc nempe pronissimum est, vt plebs imperita, quae a concionatoris ore pendet, et in verba magistri iurat, maiorem longe de vtilibus quibuslibet, quam de vnice necessariis aestimationem concipiat. Vtile omnino erit, de vtilibus loqui: ita tamen, vt iis, quae necessaria, potiores semper partes tribuantur. Ita quoque, vt *sinceritas* (r) *Catholicorum dogmatum* suos semper intra limites salua consistat; et ne temere quid dicatur, quod inuiolabilibus sanctae religionis nostrae fundamentis aduersari videatur.

* Esset, si requisitis ad *veram fidem* gauderet, quorum plurima vel ipse Auctor desiderat.

(r) *Sinceritas Catholicorum dogmatum cet.*

Catholicam esse *Romanam ecclesiam*, cuius et modernam, et a saeculis ad nos, veritate nuntia, delatam faciem, plus, quam in speculo nouimus, is demum, concedamus, iure dicat, qui hanc in suis dogmatibus nihil contrarium sacris Literis docere: omnem vero aliam, lignanter cuius nomen ab euangelio clarum est, in sua confessione Christo, apostolis, et prophetis repugnare, palam demonstrauerit. Nemo, in vanum, gloriatur de antiquitate ecclesiae, quia non refert, quamdiu regnauerit error, abusus, superstitio, sed quamdiu intemperata veritas nomen ecclesiae Christi meruerit. Veritas vnus diei praeterenda est mille annorum erroribus atque mendaciis. Frustra igitur suam iactantes, nostram desiderant antiquitatem Romanenses, quasi *Lutherana religio* ab annis primum ducentis incepisset. Non incepit, sed per vos annis mille et amplius iniquissime interpolata, tandem per excitatum a Spiritu sancto Virum Dei, Lutherum, pristino vigori restituta est; imo, quantum a vobis recessit, tantum accessit ad Christum Iesum. Nostra enim, *Lutheranorum, anti-*
tiqui-

tiquitas est Christus, et sanctum eius euangelium, non humanae inuentiones, aut confictae traditiones. Et vero, si legitime probaueritis, vel vnum dogma fidei Lutheranae cum euangelio conciliari haud posse: credo, et scio, tantae virtutis, tantique animi esse doctores euangelicos, vt illud hodie velint abiurare. Quidquid enim tam antiquum non est in dogmatibus, quam antiquum est ipsum euangelium, id vere Lutheranium nec dici, nec esse potest. Non tam de nomine Lutheri, quam de re, ac professione Lutherana, mihi sermo est. Seu Christianos, seu Euangelicos, seu Lutheranos dicas: idem pro eodem accipiemus. Vnum est signatum, tria significancia: vt vel ex hac Trinitate nominum, vnus eiusdemque S. religionis mysterium intelligas. Quisquis tandem fuerit aequus lector in Papatu, non ad multa obligabo eum: legat vel vnam Paulli Epistolam ad Romanos; sed cum inuocatione Spiritus sancti, et attente legat, sepositisque omnibus praecudiciis, ea dogmata, quibus Lutherani a Papaeis, roto caelo, differant, cum praefata Paulli Epistola conferat, nisi veritatem agnitam pernegare velit, dicet, sentiet, exclamabit, Paillum apostolum totum quantum fuisse Lutheranium; quandoquidem Paullus idem sentit, quod Lutherani, et Lutherani sentiunt, quod Paullus. Nos post Paillum, Paullus ante nos, idem dicimus, non aliud docemus.

Vtile erit, de laudibus, et (s) *inuocatione sanctorum* differere, ita tamen, vt auxesibus nimis superfedeat: vt ne sancti cum sanctis quodammo collidantur: alter alteri friuole praeferatur: aut quod errorem, atque impietatem saperet, qui intercessores solummodo sunt, vnico Mediatori nostro, CHRISTO, pares, imo supares depraedicentur. Vtile etiam erit, (t) *de cultu gratiosarum iconum*, (u) *de peregrinationibus*, (v) *de indulgentiis*,

et confraternitatibus, * *suo nempe loco, et tempore*, verba facere, ita tamen, vt ne huiusmodi materiae temere extollantur; Neque infirmis rationibus, incertis reuelationibus, (x) *miraculis apocryphis*, (y) *talibusque historiis* fulciantur, quae imprudentem peccatorem non a peccato auocent, sed in malo confirmet, atque in errorem inducere valeant: vt sibi persuadeat, viuat vt vt velit, saluum se fore, dummodo hunc, aut illum sanctum colat: hanc, aut illam iconem frequentet: huic aut illi confraternitati accedat. (z)

⚭ Si tamen locus, et tempus est dicendi ea, quae aut tacenda sunt; aut si verba facias, prohibenda erant.

(s) *De Inuocatione sanctorum.*

Optimum esto consilium, honorare sanctos *imitatione fidei, virtutumque ad exactissimum Christi exemplar*: quod illi fideliter sequuti errare haud poterant; non autem *inuocatione*, quia periculosum est, non *precibus*, ne aerem verberes. Non *cultu* quodam, seu interno seu externo, quia vnus est *verus cultus*, soli Deo, et Christo Iesu debitus. Quidquid aliud colitur, quemadmodum de *auaritia* legimus, *idolorum seruitus est*. Apparebit aliquando vanitas illius *distinctionis Sophisticae*, qua *cultum, siue adorationem*, ne soli Deo debeant, trifariam diuiserunt: in *duliam, hyperduliam, et latriam*. Primi sancti, Adam, Eua, Abel, Enoch cet. non erunt infeliciores nobis eo, quod nullos ante se habuerint sanctos, quos *inuocare* potuissent: *imo nec vluissent*. Abel quidem, velut primitiae omnium sanctorum, in caelum praemissus est, ceruque fuerunt *protoplasti* de salute filii, *etiamsi nullus Pontifex canonizauerit eum*, non tamen inuocantes clamabant: *Sancte Abel, ora pro nobis!* Sed optabant a Domino, ibi se fore, vbi iam erat filius. Nemo igitur *de me-*
ritis

ritis sanctorum, quae nulla, nisi in Christo habuerunt, nec de *intercessione*, qua solum in communi pro ecclesia militante intercedunt, confidat; quia, nisi *eandem fidem* teneat, per quam illi placuerunt Deo, saluus esse non poterit.

(t) *De cultu gratiosarum iconum.*

Omnes in papatu miracula videre gestiunt: nemo videt. Fateor, me quoque huiusmodi sacra, ut aiunt, cupido, inceserat olim. Sed pene totam frustra peragraui Hungar. nihil enim aliud, praeter ligna, et lapides formatos, telasque pictas in aris videre poteram. Hic statuas, ibi esse imagines prodigiis claras audiunt ab audientibus, creduntque mirabilia narrantibus, et ipsi relata paullo post aliis narrantes, *credi volunt etiam ea, quae narratis addiderint.* Tandem, ut memoriae consulant, caramque posteritatem ineffabili thesauro ditent: *Liber Miraculorum* typis euulgatur; imo tot libri, quot loca prodigiosa, utpote in quibus imagines, aut statuae sacros potissimum fundant humores, ad medelam scilicet corporum: aut, quod amplius videatur, sanguineis madent lacrymis, videlicet pro peccatis animarum; quasi pictor, aut alius clam colores mutare, aut humores addere nequeat, ut plebs alioqui corde leuis, nimiumque credula tantis obstupescat miraculis. Aliquando statua, velut annuenti similis, caput inclinavit: aut, quod mireris, vultum auertit, pro qualitate supplicantium. Quis non miretur *artem inuisibilem*, omnes fere Matheos regulas excedentem, qua non solum *inclinari*, sed et *manus extendi*, aut *retrocedere* cum stupore adstantium valeant? Verbo: totum subinde corpus *irunci affabre elaborari*, quod rarissimis euentibus accensetur, una cum suo sacello, forte Angelis transportantibus, nullo tamen vidente, plurimis audientibus, migravit de loco in locum. Ex his tantisque prodigiis *vaticinio* fit locus, quo propitium, aut iratum sanctum, vel sanctam, pro ratione munerum, praedicant: sed reconciliari potentem *confluxu oblationum.* Denique hi *mirabiles colossi, et picturae* omnia posse videntur, cuius, aut quorum ope, scitur; etiam si

non dicam, praeterquam quod *os* habeant, et non loquantur: *oculos*, et non videant: *aures*: et non audiant; tamen exaudire posse creduntur: quo quid mirabilius inter omnia miracula Papistica?


(u) *De peregrinationibus.*

Sacra per Antonomastiam loca dicuntur: In Palaestina Hierosolymorum: *Romae* ad limina apostolorum: *Compostellae* in Hispania ad S. Iacobum. Hinc variae processiones, peregrinationes, discursationes per orbem terrarum. Alius ab oriente ad occidentem, alius a meridie ad septentrionem festinat, quaesiturus plenariam indulgentiam, et remissionem *tam poenae, quam culpa*. Quis tamen horum recordatur dicti *Ioannis Baptistae*, quo, velut indice, ostendit *Agnum illum, qui tollit peccata mundi*. Hunc si *vera fide* quaeris, iam est *in corde tuo*: Templum istud, nisi obstes peccatis, prae omni *Roma, Hierosolymis, et Compostella* sibi consecrauit. Localis mutatio Deum non efficit propriorem. Crede tantum, et ama, iam ibi est, ubi stas, vel sedes: passibus haud inuenitur. Si scires aestimare, magna est dignitas tua! Ecce *rosa sanctissima Trinitas* ad te veniet, et mansionem apud te faciet, si animae tuae diuersorium fide paratum, spe accensum, et caritate gratum inuenerit. Quid iuvat tentare maria, extremasque inuisere Thules, ut nimirum a te procul inuenias, quod quaeris: cum hoc ipsum nullibi sit proprius, quam iuxta te, ubi non quaeris? Sed inquires: Nihil iuxta me video: Bene dicis, te non videre, quia non credis: Si crederes, iam et apertis oculis, quos hic referat fides, eum vidisses. *Qui multum peregrinantur, raro sanctificantur*. Etiam si non dicas, forte sentis, quid tibi profuerint peregrinationes, cum a te nunquam discesseris; imo semper tecum eundem nequam hominem circumtulisti; nisi veterem exutus nouum indueris, nec in *Berlebem*, nec in *horto oliueti*, nec in *monte Golgorba*, nec in monumento resurrectionis *Christum* inuenies. Si sapiis, non muta locum de loco, habens eum, qui est
in

in omni loco. Nam et *exilium*, si fueris cum Iesu, *patriam* dicēs, et *patriam*, in qua non fuisti, nec eſſes cum Iesu, *exilium* reputabis. Non ubi fueris, aut quorū veneris, sed quomodo vixeris, refert. Tandem, ut veram fidem habeas, non *Romam*, aut Hierosolymam, siue ex *Austria*, siue ex *Hungaria* commigrandum; sed *atui, et creaturarum inordinato amore*, peregrinandum est ad Dominum. Non enim terrestrem, sed *caelestem illam Ierusalem* inquirimus.

(v) *De Indulgentiis.*

Passim clamatur in Papatu: hic esse, *plenarias indulgentias*: ibi *Encenia, templorumque annuas dedicationes*: ubi mirum dictu, post solemnem *Missam*, quantus fiat concursus ad solemnia *Bacchi*, ludos, et singularia iuuenum vnius loci aduersus alios certamina; hinc *plagae, vulnera, caedesque* non raro sequuntur. Nec *Franciscani* sunt expertes huiusmodi *zenculorum*, aut *merendarum*, ut plane verum sit cuiusdam effatum: *Vbicunque sunt magnae solemnitates Papistarum, ibi etiam diabolus habere suam Cappellam.* Alibi *sudaria, clauos, catenas, lances, vrceos, cer.* Imo et *venerandos*, si Diis placet, *gradus*, nescio, cui sanctorum in *caelo, vel extra caelum* dicauerint, per quos nefas est more hominum *pedibus* incedere, sed manibus et genibus flexis, more quadrupedum. Similia monstris, vel *vrſis* animalia dicerēs, si Malaczkae in *Hungaria*, ubi annum probationis monasticae subieram, praeter alios, etiam *Franciscanos, attractis cucullis, quadrupedantes* videres. Magno certe opus est *respirio* vtriusque *spiritus*, nisi vel *trigesies* subſistas, dum ad summitatem peruenis. Ibi iam pro tantae *lassitudinis merito*, numerantur *tot centenorum dierum indulgentiae*, per quot *gradus, pedibus inta-* *ctos*, molem corporis protruxisti. Semel omni hebdomade, cum suo magistro fratres nouitii, *etiam nolentes ex virtute obedientiae, hoc sacrum iter* perficiunt. Vnum doleo, quod circiter quinquagesies reptabundus triuerim lapideos *gradus*, nec tamen vnquam, *prae dolore genuum, succurrerit numerare.* Sed haec parua sunt, si comparentur *cum indulgentiis*, quae aut *Romae* dispen-



dispensantur, aut *Roma in alias regiones* asportantur. Erat quidam *Romipeta*, qui, *satur iam Romanis indulgentiis*, ad suos reuersus, inter alias, *utinam sanctorum non dicerent, quas hinc inde colligunt!* reliquias, *vnam* singulariter ex pera sua produxit: Vngulam videlicet illius asini, qui *Christifer* dicebatur. Miras huius virtutes explicabat, promittens etiam *morborum curatio- nem*, si quis ex ea gratum sibi haustum sumeret. Persuasus quidam ex ditioribus idiotis, magno emit vngulam, idem repetens, quantum hoc *animal subiugale* portasset Dominum, quare, *caussa honoris*, *argento circumdari iussit*: ne *vini potatio*, externa specie, *rarissimi* cetera, vasculi, abominabilis redderetur. Non secus dementabat alios *Romanus ille vagator*, sed cantus, in distitis ab inuicem locis agebat fraudem lucrosam, ne quo casu proderetur. Vt cunque iam pecunias corradenti successit negotium *vsque ad quartam vngulam*; adhuc enim *quatuor pedibus currere poterat asinus*. At, vbi etiam *quinta* venisset in apricum, simplices primo admirati sunt *extraordinariam aselli speciem*, utpote cui *haud suffecissent quatuor pedes*. Demum cognouerunt impostorem, *ex crepundis animalibus in via collegisse has reliquias*.

(X) *Miraculis apocryphis.*

I nter omnes sanctorum reliquias, et quae sunt mirabilium mirabilia, cum indulgentiis quoque pro articulo mortis, eminent particulae illius benedictae crucis, in qua salus nostra pependisse, heu nimium creditur! Aetum fuisset de tam ingenti thesauro ecclesiae Romanae, quandoquidem multis, post Christum saeculis ignorauit antiquitas venerationem adorationemque crucis lignae, nisi Helena Imperatrix, in somniis admonita, effossis videlicet de alta humo tribus crucibus, quae- nam fuerit Saluatoris, miraculo sanatae, *per contactum crucis*, feminae, cognouisset. Alioqui difficilis admodum erat vnus e tribus, electio: ne *quo fato crux latronis, a sinistris Iesu pendens* pro sancta coleretur. Verum illa, quam putant Saluatoris

toris fuisse, *Romae*, ni fallor, asseruatur; nam inde in omnes mundi oras feruntur *auro* pretiosiores particulae. Mirum est, quod huc usque millies non defecerit crux pretiosissima *per tot diuisiones*. Quondam et ego duas particulas non vulgares habui, dono Monialium, fors adhuc uiuentium. Profecto, si omnes particulae crucis ex vno saltem, alteroue regno in vnum locum comportarentur, forte non vnam tantum crucem haberemus. Quot, putas, exurgerent, si omnia regna suas particulas congregarent? Sed, vt *fides plus quam humana particulis habeatur*; ad crucem illam continua fiunt miracula. Quid quid enim *per diem abrasum est, nocte, vt aiunt, succrescit*, quasi non sufficiat *Romanensibus lignum illud*, si tamen primum est, *per tot saecula incorruptum*, a *terredine prohiberi*, nisi etiam, *vi vegetandi ad arborem*, iam ab annis MDCC, et quod est supra, *mortuam translata*, augetur quotidie. *O auri sacra fames, quid non adhuc mortalia coges peccata?*

(y) *Talibusque historiis.*

Legitur in euangelio quoddam genus daemoniorum, quod *Matth. eiici non potest, nisi per orationem et ieiunium*. Propterea *XVII, 15.* confisi monachi *virtute sui, prae nausea oscitantis ieiunii*, etiam daemones ex *Enérgumenis* pellere nituntur. Fuit quidam *circumforaneus Agyrta*, suis tam delusus, quam ad incitas redactus, artibus qui vt absque labore famentem vitam sustentare posset, finxit, *se obsessum a diabolo*. Interim ad *monachos* delatus, varia, et insolenti iactatione corporis facile persuasit *miracula quotidie videtibus*, rem ita esse, *quod non erat*. Accurrunt illi, iam bene post meridiem, solito videlicet ieiunio macerati, *cum stolis, tintinnabulis, benedictis cereis*, et aqua *lustrali*; sed quo magis *exorcizant*, eo amplius *iactatur, spumat, torquetur miser*. Tandem ergo, *lassi expectatione miraculi*, dimittunt *obsessum, re infecta*; necdum enim *ex eleemosynis impleuerat marsupium, vt linqueretur a daemone spontaneo*. Sed casu agnitus a quodam Prouisore, dum suas coram spectante populo figuras ageret, ceteris *miseri-*

G cordia

cordia motis, inquit ille: *Non poterant monachi: expellam ego huius mutum daemonium.* Iubet eum sterni, ubi deprehensus erat, in platea, multis adstantibus, tam diuque neruis bubulis caedi, quamdiu non ederet voces articulatas. Atque ita, ictibus interpolatis, non semel quaesitus: *habesne diabolum, an non habes?* Dolore tandem veritatem exprimente, *apertum est os eius, et clamavit voce magna, dicens, se non habere diabolum.* Sic extorta veritate, *peracta est tragoedia.* Sed et Prouisor, *obtentio sine mitigatus, iam verbis, non verberibus agit, serio tamen requirens, cur tanto facinori victas manus praebuisset?* Rem, ut erat, enarrauit liberatus ille a daemonio meridiano: *Cum scirem, inquit, Papistarum animos ad misericordiam, et eleemosynas promos, haud poteram excogitare faciliorem acquirendi modum praefato, quo tamen te, conuersus ad Prouisorem, ait, ceteris prudentiorem exorcistam, eludere non potui.* Videtur ex hoc euentu, esse quoddam genus daemoniorum, quod nullis cedit exorcismis, monachorum scilicet ieiunantium, sed fustibus, et neruis Prouisorum optime placatur. Huic simplici narrationi subiungam ego epiphonema. *Historiam dicant Romanenses, an Parabolam, mea non interest.* Audita haec olim, non visa, narro. *Szilum duntaxat, rei non factae accommodatum, qui me nouerunt, meum esse sciunt.* Interim sufficiat, in coetu Romano et haec, et similia, et bis longe grandiora quotidie patrari, quae si voluerint in conspectu solis huius esse, vel etiam, quod minime recuso cum diuina gratia, calamum calamo reddiderint, promptum paratumque inuenient ad plura, haec sunt solummodo futurorum praeludia, non iam ex auditu recensenda; sed, quorum, oculi duo, et experientia circiter annorum septendecim, testes fuerunt. Ista modo, sunt alta mente reposta. Memoriae tantum refricatione opus habent, aut coze vestro. Si quaeritis, cur de facto singula, quae me scire, fors iam doletis, imo, quorum vos remordentem in praxi, ut ut cauteriatam, conscientiam habetis, non scripserim? Rationem, haud inuitus, do ad mentem Salomonis: quia omnia tempus habent. Suam quoque seges maturitatem expectat. Occasionem a me praestolari non soleo. Vicem amicis reddere quis nolit? Summa

ma rationum est: *Epistolam, suis notis, et observationibus dignissimam, elucubrare volui, non librum componere.* Si veritatem in hoc opusculo incidenter dixi, *serium propositum duntaxat inchoatum est, veritatem amanti haud succensebit Lector beneuolus. Malevolentiam quorumcumque nec moror, nec vereor.*

Sed pene oblitus fuisssem promissi *epiphonematis*, quo laudare statui Romanenses fratres meos. Re vera multiflexiles in bonum habent animos; Sunt enim *miseriordes*, multasque *eleemosynas* faciunt: et in hoc sunt laude sua dignissimi; quandoquidem est opus *vere sanctum et Euangelicum*, dummodo ex *vera fide* procedat, suasque *eleemosynas* in bonum finem, non, *vt videantur ab hominibus, faciant: Neque propterea, tamquam sub censu, merita computent.* Scit enim *Pater ille caelestis*, quid cui redditurus sit *ex misericordia*, non quid cui debiturus sit in altera vita. *Nulli etiam debetur semel amissum, imo nunquam possessum, postquam primus amiserat, quod, vt iterum habeatur, haec, vel illa mensura possidendum, semper vitique dantis gratiam respiciet, non merentis praerogatiuam.* Non *ex theoria* loquor: Tribus operibus, aut satis dixerim, *tribus nominibus* in vnum idemque tendentibus, videlicet *caritate, misericordia, eleemosynis*, excellunt *Papistae inter omnes gentes, et nationes.* Sed oportet verificari *Scripturam, quod filii tenebrarum et mundi huius sint prudentiores in generatione sua filiis lucis.* Profecto si alii tanto zelo, quod est illud vnum in tribus, id est tanta caritate, tanta misericordia, tantis eleemosynis agerent pro suis, *quantis nominibus haec omnia*, qui experti sunt, dicere possunt, pro suis impendunt, et super impendunt *Papistae*, paucissimos hi, plurimos numerarent alii. Imo si licet *contrarium contrario* comparare, placet haec sententia, *se olim ex impietate mirabatur orbis terrarum, se Avianum esse: quanto magis nunc ex pietate miraretur mundus, se totum quantum Lutheranum esse.* Sed iterum exclamare cogor: *Oportet impleri Scripturam!* Scimus, quantos exerant conatus, vt alios praetereram, vel illi Iesu vitam insigniter mentientes *Loiolitae*, ne dicam genuinos *vita et moribus*, quos *pulla veste* recondunt,

Luc. XVI,
8.

templatorum successores, qui cum *individo* mamonae iniquitatis *socio*, hanc enim societatem *arctissimis* tenent *vinculis*, *circumeunt terras et maria*, illorum more, cum quibus *toro euangelio* fuit *negotium Christo*, ut faciant *unum* Profelytum; et postquam fecerint, quanta cura prosequantur! *Si possent, in manibus portarent*. Non *ad invidiam* dico, sed *in veritate*, ac *re-rio* dico, Scripturam esse impletam! Scilicet *filiis tenebrarum esse prudentiores filiis lucis*, ea ratione, qua Christus intellexit, facta nimirum *comparatione tenebrarum, et lucis, caeli, et inferni*; quandoquidem negari non potest, quod filii tenebrarum, et saeculi huius sint magis solliciti pro *inferno*, et ut *suos ad infernum deducant*, seu id volentes, seu ex ignorantia *vincibili* faciant, quam sint solliciti filii lucis *pro caelo*, et ut *suos ad caelum perducant*, ut ut nihil aliud intendant. Deus quidem *suos* ubicunque sint, non derelinquet: per hoc tamen haud sunt relinquendi soli Deo; cum *non sola* constant anima.

(z) Adiici poterat: *Hanc vel illam animam ex purgatorio liberet.*

In hoc *mysterio*, tamquam a *saeculis prioribus abscondito*, maxime confidunt Papistae. Tenent enim firmissime: Si, quis *vel unam animam*, taceo plures, ex purgatorio liberaverit, esse quasi impossibile, talem liberatorem damnari, cum sit habiturus perpetuum, ut aiunt, et *obligatissimum* intercessorem in caelis. Hinc tot Missae Missarum, quarum nundinatione monachi, et sacerdotes sibi, non mortuis, profunt; utpote qui non egent pecunia, nec ullis viuorum suffragiis iuuari possunt. *Vbi enim semel ceciderit arbor, ibi manet in aeternum*. Videbunt aliquando, utinam non propria experientia videant! *locum*, quem credebant *purgatorium*, ipsum esse *infernum*, ibi erit *fletus et stridor dentium*. Ex hoc, si possunt, liberent, suosque statuunt intercessores.

Alterum

Alterum est, quod intelligamus, Concionatores nonnullos indiscreto zelo abreptos, in supremos Magistratus, in modernam gubernandi formam, in statuta, et indulta publica, in nostrorum temporum calamitates, in graua rei publicae onera, atque his similia stomachose inuehi, ac debacchari: id quod prudentem Ecclesiasten minime decet, qui non, nisi bonae frugis spe concepta, ad dicendum progreditur. Nempe dictum sibi existimat illud Saluatoris nostri, *Iob. XV, 16. Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Iam vero, quem quaeso fructum Concinator afferet, qui suggestum conscendit, non quem coram habet auditorem, exhortaturus, sed in absentes declamaturus, et quasi seditiosis signum praelaturus? Is scilicet fructus existit, ut faucii iam animi eo amplius exulcerentur, debita superioribus obseruantia penitus collabascant, linguas petulantibus omne frenum relaxetur, murmura grauissima, atque adeo odia in Principes aequae, ac Magistratus ceteros confoueantur, et turbulentis capitibus pessimus seditionum fomes porrigatur.

Sane non hunc concionandi morem Gentium apostolus Titum docuit, dum in epistola ad eum data Cap. III, i. ita scribit: *Admone illos Principibus, et Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Et Paullus ipse diuersa plane ratione Romanos exhortatur, XIII, 7.

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Ephesios item VI, 5. Serui, obedite Dominis carnalibus cum timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Denique ad Hebraeos XIII, 17. *Obedite Praepositis vestris, et subiaccete eis.* Quod si, quemadmodum apostoli, ita Concionatores omnes non clamorose quemlibet vilioris populi applausum, sed sincerum animarum lucrum, ac emolumentum, tamquam vnicum laborum suorum scopum praefixum sibi esse intelligerent, profecto, ea solum in publicum proferrent, quae idonea sunt animis ad patientiam emolliendis, non ab obseruantia Magistratibus debita deiiciendis. Igitur, si Concionatores oblata occasione populum exhortabuntur, vt pro lumine Magistratibus concedendo, quo illustrati commune rei publicae bonum peruideant, promoueantque, Patrem luminum deprecentur, vt onera, quantumuis graua humiliter, atque obedienter ferat, vt calamitates temporum quascunque in peccatorum nostrorum supplicium immissas, et non, nisi per poenitentiam auertendas esse, intelligat; Tum enim vero, et fructum afferent: et fructus eorum manebit.

Ad haec munere suo haud quaquam funguntur Concionatores illi, qui toti sunt in eo, vt compula nimis, aut vana, et ludicra dicendi ratione aures plebis demulceant, non corda percellant, qui
Gen-

Gentium apostolo e diametro oppositi: (aa) *Nibil minus sciunt, quam Iesum Christum, et hunc crucifixum.*

(aa) *Nibil minus sciunt cet.*

Quid iuuat scire omnia, quamquam non possis, si vnum ignores, qui est super omnia, et scire posses Iesum Christum. Quid refert, scire tantum, vt scias, si ad id, propter quod sciendum erat, non peruenias. Quid expedit discere plurima, quorum si rationem inieris, non pauca reperies, aliquando certe videbis, maiore studio, quam didiceris, dediscenda fuisse. Illorum igitur plane miseranda est conditio: qui cum maxime scienda ignorent, tamen se putant esse doctores ecclesiae: umbraticos quidam belle dixit, tamquam cum umbris, et laruis inuicem concertantes; qui, vt culices, aut muscas vilissimas in reboantibus, streperisque disputationibus, tandem aliquando percolare possint: Subtilissimas araneorum telas imitantur. His tantarum, vt putant, subtilitatum architectis iam non sapiunt sacrae Literae, cum vel maxime titulos exambiant doctorum ecclesiae. Sunt, et erant, qui dicerent, sacram Scripturam habere cereum visum, quoquo velis, flexibilem. O perfidam et inexpiabilem calumniam! Illos vero, qui Scripturae testimoniis in disputationibus vtuntur, quasi rem saepius decantatam, proferant, in sacristiam relegare per contemptum non verentur: aut insulsa, et exotica distinctione, fors a cornibus lunae perita, vim argumenti eludere conantur: vel etiam dicunt, eos habere multum auctoritatis, sed parum rationis! Vtinam huius primae auctoritatis, quae superat omnem captum superbae rationis, omnes iam dudum vasalli essemus: tunc vere docti, sapientes, ac in aeternum futuri felices, cum iubilo cantaremus: *Iam est in terris vna fides, vnum baptisma, vnum onus, vnus, et ille bonus Pastor, summusque omnium, et verus Pontifex Iesus Christus.* Huc feruntur vota bonorum. Sed ne impleatur gaudium istud, Satan inuidet: multi obstant in suam

suam perniciem, cum *illis doctoribus*, qui suas *entitates*, *formalitates*, *haecceitates*, *quidditates*, denique *scientias*, cum defectu *integrarum*, *medias*, atque id genus *sexcentas denominationum denominabilium denominabilitates* tam *in*, quam *pro* suis *HONORIFICABILITVDINATIONIBVS* operose conglomerantes, magnum se aliquid egisse putant, cum nihil magis, *actum agendo*, egerint, quam, *vt risum*, si fas est, teneatis amici.

Quasi Tuba exalta vocem tuam: monet Isaias LVIII, i. vbi Augustinus Serm. 106. de temp. Scitis, quod tuba non tam oblectationis esse soleat, quam terroris. Tuba itaque peccatoribus necessaria est, quae non solum aures eorum penetret, sed et cor concutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditu. Profecto non laudaret apostolus Thessalonicenses suos Ep. I, c. II, v. 13. nisi accepissent ab eo *Verbum auditus Dei*, non *vt Verbum hominum*, sed *sicut est vere Verbum Dei*. Si igitur a populo requiritur, *vt orationem dicentis audiat*, *vt Verbum Dei*, quanto magis a Concionatore (bb) *vt eloquatur Verbum Dei*, *sicut est vere Verbum Dei*.

(bb) *Vt eloquatur Verbum Dei cet.*

Quidquid continetur sacris Literis, ab omni fucō, et adscitio cultu est alienum: *vt nihil affectati*, nihil, quod suspicionem fictionis mouere possit, in toto sacro Codice reperias. Natiua est sermonis Dei, et purissima simplicitas, sed cui tanta inest efficacia, *vt quidquid vnquam ab hominibus*, praesertim *citra*, vel *contra genuinum sensum Scripturae*, maxima solertia inuentum esse iacteretur, tamquam *persuadendis animis idoneum*: id si cum *Saluatoris nostri dictione* compareretur, omnino

omnino putidum ac insulsum videbitur iis, qui norunt, spiri-
 ritualem sensum ab omni alio, qui tantum aures titillat, segre-
 gare. *Animalis enim homo non percipit ea, quae sunt Spiritus.*
 Nemo est, nemo fuit. Nemo, fidenter dicam, erit, etiamsi
 mille annos viueret, qui totum Scripturarum fontem ita se glo-
 rieretur exhaustisse, vt nec ipse amplius, nec alter plus ipso discere
 possit. Semper adhuc restabit post omnes naros, quod sa-
 lubriter ex hoc *diuinæ sapientiae oceano*, quotidie sumas, et
 haurias et concoquas. Volue, reuolue, si luber, o vtiā!
 toties, vt *memoria tanquam libro* vti possis; Semper tamen ali-
 quid noui, *sub iisdem literis et syllabis*, reperies, quod antea
 ignorasti. Nolim, tam *dicenti* credas, quam tibi *experturo*.
 Haec tamen *sit legendi conditio*, ne studio partium labores, ve-
 rum, sepositis omnibus praediciis, solam AVCTORITATEM
 DIVINAM, et *verbum eius* respicias: atque ita puro, liberoque
 a *creaturarum idolis* animo, SOLIVS CAVSSA VERITATIS, ad lectio-
 nem Bibliorum toties, quoties accedas. Quisquis ita se compo-
 fuerit, volens imitari *patrem illum familias*, cuius in euangelio
 saepe fit mentio, quotidie *proferet de thesauro suo uoua et vete-
 ra*, in multorum aedificationem. Qui enim non summis tan-
 tum labris delibauerit suauitatem fontis huius: sed amore,
 studio, veneratione sacrarum Literarum quodammodo captus,
 et inescatus fuerit; etiamsi, quod profert, *non sit, nec debeat
 esse nouum nouitate mundi huius: semper tamen erit nouum ad
 renouationem spiritus.* Nunquam ergo, vt alias eleganter dixit
 Seneca, *nimis dicitur, quod nunquam satis discitur.* Quibusdam
 remedia monstranda sunt, quibusdam etiam inculcanda.

Sen. Epist.
 XXVII.

Et vero, etiam anhelus accurrit populus, vt Ver-
 bum Dei percipiat: qua autem ratione expe-
 ctationi tot animarum, quae esuriunt, et sitiunt
 iustitiam, satisfacit Concionator ille, ex cuius ore
 non nisi themata, ineptissimos in fronte titulos
 H prae-

praeferentia, inanes, et siccissimi conceptus; ludicra, imo scandalosa poetarum commenta: audaces, et insulfae Metaphorae, vanissimi verborum lusus, et temerariae sacrarum Scripturarum detorsiones, expositiones, applicationesque procedunt. Anne istiusmodi Concionatores *Verbum Dei praedicant, ut est Verbum Dei?* Imo vero, ut loquitur Auctor oper. Imperf. *tradunt Verbum veritatis peruersis expositionibus suis ad deludendum, et crucifigendum.* Hom. XXXV. in Matth. *Occidunt prophetas, et apostolos, et sanguinem verborum eorum, id est Veritatem, effundunt in terram.* Hom. XXVI. in Matth. Viderint isti, quam strictam olim diuino Iudici rationem reddituri sint, quippe qui munere suo apostolico, et ut Clemens Alexandr. Lib. I. Strom. ait: *quodammodo angelico turpiter abusi, tot animarum lucra non promouerint, sed impedierint, tot peccatorum conuersioni obstiterint, et populum Dei electum a sacrificio Domini, a poenitentia, morumque emendatione ineptiis suis retraxerint.*

Quid si eo licentiae progredierentur, ut sacrum pulpitem theatri in morem habere non vererentur: et tremendum Dei Verbum ridiculum facerent; quid si sibi plauderent: quod a ceteris Verbi Dei praeconibus plus apostolicis populum auertant, maiorem ad sua ludicra gregem agant, et petulantem plebeculam in cachinnos soluant. Hi enim vero non solum e suggestu deturbandi essent,

sent, verum etiam criminis non leuis postulandi, quos Clemens Alexandr. plane impietatis insimulare non dubitat, dum in oratione ad Gentes exclamat: *O impietatem! Scenam caelum fecistis, et Deus nobis factus est actus.*

Et sane (cc) *anne criminis expers sit ille*, qui grauissimo non fidelium duntaxat, sed vel maxime heterodoxorum scandalo Verbum Dei prostituit. Scripturas sacras in salutem gentium a Spiritu sancto dictatas in risum vertit in Dei viuentis regia, in Christi praesentis conspectu, assistentes inter et contremiscentes Angelos, veritates sanctissimas ludibrio exponit, et vbi sacerdotes ceteri poenitentium more cum Ioele plangunt II, 17. *Parce, Domine, parce populo tuo.* Ille in eadem Dei ecclesia, in eodem poenitentiae sanctuario, histrionis more facetias venditat; atque euangelicae messis loco, non nisi cachinnos colligit.

(cc) *Anne criminis expers sit ille? cet.*

Quem hic, tacito nomine, seu ex proposito, seu per accidens, egregie depinxit Illustr. Auctor, nouissime surrexit in ecclesia Hungariae, non de gigantum familia, MARTINVS BIRO, episcopus Vespriensis, cuius et originem, et virtutem, et scientiam nouimus. Hic, vt auctor vnus libri nominaretur, cum sit nullius: eandem crambem, de non tolerandis in Hungaria Protestantibus, quam olim, sub titulo veritatis, sed iam falsitatis toti mundo declaratae, GEORGIUS BARSONY, episcopus Vardiensis coxerat, affuso duntaxat insulphissimo iusculo, recaxit. Legi nuper inconnexum, inconditum, virulentum, et furilem librum eius, quem non argumentis, et rationibus, sed scommatibus

oneravit adeo, vt vel suis, a quibus gratiam, et velut in praemium exantlati laboris, archiepiscopalem dignitatem praestolabatur, oneri factus sit, iam absque pretio, scilicet, per confiscationem, in Hungaria magni aestimatus liber. Cogitabam equidem refutare, sed quoniam pari eruditione certat cum argumenti veritate, indignum censeo; nam vel eo ipso, quod lucem adspexerit, vt ex effectu patet, iam sufficiens, et superabundans sui ipsius confutatio est. Si tacuisset, saltem honestior episcopus, si non philosophus, aut plane theologus mansisset. Eruditorum, vt paucis multa complectar, hoc est de libro iudicium: *Hofles quaerit liber, qui vel suorum iudicio inualidus est.* In hunc librum, et auctorem eius ingeniose lusit vnus de fratribus meis IOSEPHVS L. B. de REWA, *Consiliarius Regius.* Initium duntaxat et finem versuum, causa breuitatis apponam:

Anne BIRONVS eris? qui stirpe *Padanus* haberis:
Is GONTHALDVS erat; qui talem te putat, errat.

BIRO tace: non vis? iussit REGINA tacere:

Maxima sunt cuius Brachia, BIRO tace.

Magnum sane silentium, non priuato cuidam, sed episcopo, et quidem *Vespremiensi*, quae sedes olim, excepto nunc Birone, regni tulit Cancellarios, iubente REGINA, impositum est. Sed forte excellens quaedam praerogatiua est, Auctorem nominari et esse. Ita quidem fert vulgaris opinio, quam sibi praefiguravit Auctor iste, post librum longe magis tacendus, quam ante librum nominatus fuerit. Meo quidem iudicio, sanius inisset consilium bonus episcopus, si bonis ad populum concionibus illo tempore insudasset, quo suum ENCHIRIDION aduersus Protestantes consarcinauit, quam quod inter omnia opera sua, edita vel inedita primum, et vnicum Auctorem egerit sui irrefragabilis SILENTI.

Tantam (dd) Verbi Dei profanationem Heterodoxi ipsi, dum execrantur, (ee) qui sacris nostris ceteroquin fors accederent, magno numero abster-

absterrentur. Neque Gentiles tolerarent, si quis de fabulosis eorum dogmatibus licenter adeo, ac propudiose suis in delubris loqueretur. Hinc est, quod *Chrysostomus* Homil. 17. in Epist. ad Ephes. Concionatores omnes grauitur adhortetur. Exterminare, obsecro, ex animis vestris ingratiā istam gratiam: Parasytorum res est illa, Mimorum, et saltatorum. In Domo Dei, et tanti momenti Ministerio non nisi sancte sancta tractari decet.

(dd) *Tantam Verbi Dei profanationem Heterodoxi cet.*

Est quaestio, quinam sint dicendi *Heterodoxi*? Num, qui execrantur profanationem verbi Dei? Num potius et verissime, qui profanant Verbum Dei? Omnis, qui sana ratione ducitur, affirmabit posterius, negabit primum. Atqui, ex concessis, per totam epistolam Illustr. Auctoris, Concionatores Papistici profanant verbum Dei: per eos autem, qui execrantur tantam profanationem, certo certius Protestantes intelligit. Ergo non Protestantes, sed Pontificii vere dicendi sunt Heterodoxi.

Seuere denuntiat Dominus per prophetam, se pro iusto suo iudicio, priuaturum eos verbi sui possessione, qui illud profanare haud verentur. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram: Non famem panis, neque sitim a quae, sed audiendi Verbum Domini. Et commouebuntur a mari, usque ad mare, et ab Aquilone usque ad orientem circuibunt, quaerentes verbum Domini, et non inuenient.* O poena poenarum grauissima! Utinam adhuc procul esset ab eis, de quibus dixit, imo, ad mentem Illustr. Auctoris in sua Pastoralis satis declarata, praedixit apostolus: *semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, qui nimirum, ut in Papatu, alia discunt, quam oporteat discere: et alibi, quam in verbo Dei, extra*

*Amos.
VIII, 11. 12.*

tra quod non est, in quibusdam lacunis veritatem inquirunt.
Hieron. Nos igitur, apud quos regnum veritatis in aperto est, ea discamus
 in terris, quorum scientia nobiscum perseveret in caelis.

(ee) *Qui sacris nostris accederent cet.*


Aug. I. de
vnit. Eccl.
Cap. III.
Idem ibi
Cap. XVI.
 Paulo ante luculenter demonstratum est, quinam sint vere,
 qui non sint *Heterodoxi*? iudicet prudens, et oculatus Lector,
 quos oporteat ad aliena sacra transire? *Non audiamus*, inquit
 Augustinus, *haec dico, haec dicis; sed audiamus: haec dicit Do-*
minus. Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati vtrique con-
sentimus, vtrique credimus, vtrique seruiamus: ibi quaeramus eccle-
siam, ibi discutiamus causam nostram. Idem ibidem alio capite
sic habet: Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermoni-
bis, et rumoribus Affrorum, non in Conciliis episcoporum suorum,
non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis, et prodigiis
fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini praeparati, et cau-
ti redditi sumus. Sed in praescripto legis, in prophetarum praedi-
ctis, in Psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in euan-
gelistarum praedicationibus, et laboribus, hoc est: in omnibus Ca-
nonicis sanctorum librorum auctoritatibus. Nec ita, ut ea colligant,
et commemorent, quae obscure, vel ambigue, vel figurate di-
cta sunt, quae quisque, sicut voluerit, interpretetur secundum sen-
suum suum; talia enim recte intelligi, exponique non possunt, nisi
prius ea, quae apertissime dicta sunt, firma fide teneantur.

Ea est indoles veritatis evangelicae, ut intrinseca vi animis
 fidelium influat, non humano subiaceat imperio. Hinc ille
 Rex humilium, atque mansuetorum Imperator, qui ad salutem
 omnium venerat, non quaesivit extra veritatem proleteria quae-
 dam doctrinae suae adminicula: non ferrum, non ignes, non
 fulmina iactavit; sed illud: qui potest capere, capiat, qui habet
 aures audiendi, audiat: aliquoties ingeminatum ab ore veritatis
 legimus. Nos igitur, qui Ducem nostrum Salvatorem, non
 alium in terris hominem, sequimur: ita comparati sumus, ut
 amore potius, et mansuetudine *Christiana Christiani, ad Christum*

stum ducamur, quam illa impotente sui potentia, apud quam stat firmiter pro ratione voluntas, ad vos, tamquam in obliquum veritatis, pertrahamur. Nobis enim, qui semel aeternae veritatis gustum fecimus, imo victas ei manus sponte libenterque tradidimus, non est iam vita, ut ut sit carissima, veritate potior. Sed ipsum vivere nobis cum Paulo Christus est, et mori lucrum. Solidis ergo, et e Scripturarum fonte petitis, utendum esset argumentis, ut ipsa veritate, si qua est in vobis, moueamur; non, ut hucusque, minis, et armis: Non, bonorum, fortunarumque priuationibus: Non, exilio, carcere, vinculis. Non denique illo, quod ipsa morte videtur acerbius, intolerabili iugo dixerim, an tyrannide conscientiarum. Enim vero, ut omnia in vnum, quod iam diu extorquere vultis, etiam, atque etiam iungatis praesidia; nihil est prius, nihil ipsa veritate potentius, quae caelo missa, terris nata, felicitis haeres aeternitatis, animique immortalis dignissima portio, vinci non potest, semper ipsa triumphans. Premi quidem, ut eo surgat altius, quemadmodum vidistis, et vos ipsi premebatis, potuit ad tempus; opprimi vero, quousque veritas erit veritas, ut semper erit, nunquam poterit.

Philip. I,
21.

Tandem bene dicitur: Fors accederent sacris nostris, quia non una, sed plures sunt causas separationis Lutheranorum a Papaeis. Nihilominus fundamentalem, a qua promanant, vel dependent ceterae, attigit Illustr. Auctor. quasi diceret: quia execrantur Verbi Dei profanationem, ideo non accedunt, sed absterrentur. Vtuncumque adumbrata est ratio: cesset enim profanatio, cessabit execratio, facilis erit accessus. Sed venite prius ad nos, ut nos accedere possimus ad vos. Non enim, stantes firmiter in verbo Dei oportet ad profanatores accedere, sed hos ad illos. Quantum igitur recessistis a puritate verbi Dei, et sancto Christi evangelio, tantum accedite: impletum est votum, omni eius parte confectum est negotium. Sed videte, quantum inuoluat ista breuis, at nervosa conditio, quae uno quasi ictu ferit, imo tollit omnem errorem, abusum, atque superstitionem. His vero felicitate sublatis, quid remanebit de Papatu? ubi suam quaeret sedem



Romanus Pontifex? Tunc tunc *esset cor unum, et anima vna in orbe Christiano.* Nulla enim foret *dissensio*, si omnes, *quotquot, et in quantum* recedunt a *puritate* verbi Dei, et S. euangelio, *in tantum* accederent. Hoc est, illud *PIVM DESIDERIVM*: cuius *effectus* a multis iam *tentatus*, hucusque manet *piae* causae *pius, dumtaxat in voto, effectus.* Nec *alia via* est *possibilis, quam EXACTA PVIRITATIS EVANGELICAE OBSERVANTIA*; de qua suo loco, et tempore fors erit *vberior* differendi *campus, et occasio.*

EPILOGVS EPISTOLAE.

Haec ergo scientes: *studeamus* secundum *Mandata, et Voluntatem Domini, Verbum Dei* rite *explicare: (ff) vt Regnum Caelorum consequamur in Christo Iesu Domino nostro; cui gloria, et imperium, cum Patre, et sancto Spiritu: nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.*

Datum *Viennae*

Ex *Palatio Residentiae Nostrae Archiepiscopalis*

Die *i. Ianuarii: Anno Domini clo lccc lli.*

(ff) Vt Regnum Caelorum consequamur cet.


Hic erat *Finis* intentus *Epistolae,*
Executioni *mandatus* *Observationum adstipulatione;*

Amen: fiat, siue, fiet.

Visis igitur, et *subductis* *rationibus ponderosissimis,* quae *militant* pro *ecclesia Lutherano-euangelica: Nemo* abhorreat *ab hoc nomine, nemo, inquam, Lutheranos* contemnat *eo, quod sic* appellentur *ab vno, quondam Augustiniano Monacho: sed*

sed magis perpendat, quid hoc nomine intelligatur; non a maleuolis quibusdam, sed ab omnibus bonis; quod si mauis, Christianos, aut Euangelicos apella: idem significans, pro eodem significato amplectemur. De nomine disputent Nominales: Nostra est RES EVANGELICA; de qua, seu velitis, seu nolitis, etiam gaudere, imo gloriari nos oportet, semper autem in Domino. Neque enim ideo dicimur Lutherani, quasi dicta, aut scripta Lutheri sacram putemus Scripturam; scimus hominem fuisse: aut ideo tantum sequamur id, quod sequimur, quia Lutherus dixit, quemadmodum Pontificii neque Scripturae crederent, nisi Papa diceret, imo, quidquid ille dicat, dum ex tripode loquatur: ideo, quia dicit, sacram putant Scripturam; verum nos id solum, et omne, quod, et quia conformiter euangelio dixit Lutherus, et libenter sequimur, et fortissime tenemus. Si Deus, et Dominus noster Iesus Christus, et sanctum eius euangelium pro nobis, quis contra nos? Sed nec aliter quisquam sentire potest, cuicumque salus animae curae est. Sufficit, Lutherum Dei seruum, post tantam saeculorum corruptionem, ostendisse, ac praeiuisse viam, qua eundum est, imo, qua perueniendum est, erat, et erit omni Christiano ad PURITATEM EVANGELICAM, et ab hac directe ad REGNUM CAELORVM; sine intermedia Magna illa sacerdotum Papalium CVLINA, dicta PVRGATORIO.

Quisquis ergo errare non vult, ita sit comparatus interne, vt si bodie sciret, ac in veritate cognosceret, alium statum, non illum, in quo est, esse saluificum; bodie velit, quod optimum est, amplecti: secundum salutare monitum prophetae: Hodie, si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sed non me latet, cur Papae addicti, praesertim Literati, esto plurimos abusus, eroresque trabales in Papatu, non aduertant modo, sed palpent: eo tamen difficilius conuertantur ad meliora, quo maioribus gaudent titulorum praerogatiuis, et bonorum possessionibus? Vellent, inquam, Christum sequi: sed cum adsuetis bonoribus, diuitiis, commoditatibus: cet. Quod si haec pro nomine Iesu amittenda, vel in pauperes eroganda forent: cum illo iu. Ps. XCV, 8.
Mattb. XV III, 20. seq.



uene euangelico, qui se putabat *omnia seruasse mandata*, a voce Christi etiam hodie per euangelium vocantis, abirent tristes. Hoc est: *Vellent Pontificii diabolum*, qui eos premit, *deserere*; sed non sine diabolo, qui eis fauet. Haec est illa ratio, cur multi ad lucem euangelicam, quae non est sub modio posita, caecuti-
ant. Cur, *oppositum docente Spiritu sancto*, totiesque reclamante conscientia, nihilominus persuadent sibi, eo, quod corpori sit melius, rectissimam esse viam sub magna Papae potentia: Item: in suis honoribus, atque dignitatibus, non etiam exclusis, nisi fors per mutationem aliarum in alias, voluptatibus. Ast nullibi minus, quam in his, sub illo, ac inter similia, quae carnem, et sanguinem sapiunt, regnum Dei quaerendum est. Non omnis, *Matth. VII, 21. sq.* inquit Saluator, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum caelorum: sed, qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine cer. et tunc confitebor eis, quia nunquam noui vos. *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.*

Dixit non nemo:

Velle se cum Papistis viuere: sed malle mori cum Lutheranis.

Alter subiunxit:

Qualis vita, mors est ita.

Ergo, ne moriaris ita: aliter sane viuendum est.

VALETE.

Dabam Vitembergae ad Albim,

EX MONASTERIO B. LVTHERI

die XII. Septembr. Anno MDCCCLII.





Aug VI 57 (1)



TA 70x
nur 4. Stek verknüpft

Petro






13
EPISTOLA
PASTORALIS
IOANNIS IOSEPHI

E COMITIBVS
TRAVTHSON DE FALCKENSTEIN

S. R. I. PRINCIPIS ET ARCHI-EPISCOPI
VIENNENSIS CET.

AD
CLERVM SVVM ET CONCIONATORES
DATA VIENNAE D. I. IAN. MDCCLII



QVAM
OBSERVATIONIBVS
PRACTICIS MORALIBVS THEOLOGICIS
SECYNDVM VERAM LVCEM EVANGELICAM
EXPOSVIT, ENVCLEAVIT, ILLVSTRAVIT
ALEXIVS L. B. DE REWA

OLIM
ORDINIS FRANCISCANORVM
PROVINCIAE S. MARIAE IN HVNGARIA
PRAEDICATOR ET LECTOR THEOLOGVS

NEC NON
GVARDIANVS ET SVPERIOR NITTRIENSIS.
NVNC IN ACAD. WITTEBERGENSI THEOL. CANDIDAT.

VITEMBERGAE ET SERVESTAE
APVD SAM. GODOFRED. ZIMMERMANNVM. 1753.